(2

APPENDIX
Ad Dissertationem Historico legalem

DE

LIVELLIS
ADVOCATI

DOMINICI URSAYÆ


Continuando ordinem Capitum


CUI

Accesserunt duo discursus pro Veritate.

CIRCA DUBIUM

An onus Missarum, injunctum absque designatione Ecclesiarum, adimpleri ubilibet possit:





ROMÆ MDCCX. Typis Josephi Nicolai de Martiis, propè Templum S. MARIÆ PACIS.

SUPERIORUM PERMISSU.



INDEX.

Ex-

Nec.

Cap. I. §. XXII.

De Livellis in genere.

1 CUm occasione præsentis Causæ, argumenta contraria diluturus, multos pervolvere Authores cogerer, non putavi committendum, ut quæ inter legendum mihi occurrerunt, quævè Studiosis usui fore puto, negligenti vitio præterirem: Ideò ad hunc ultimum Paragraphum eorum commodo ea referenda duximus, ut, quantũ in Nobis est, nostro Lectori prodesse possimus.

2 Quæres 1. *Quid sit Livellum?* Omissa significatione hujus verbi, in tota sua latitudine considerati, ad nostrum effectum. Resp. *Esse annuam illam præstationem, quam sibi reservat Religiosus, vel Religiosa tempore professionis*, seu, quæ sibi à Parentibus, vel aliis assignatur pro suis particularibus indigentiis. Ità *Miranda de Monialibus quæst.9. art.1.* & concordant *Capon. discept. 81. num. 1. tom. 2.* & *Card. de Luca ad Concil. disc.34. num.4.* Obitèr observando hìc differentiam, quæ intercedit inter annalem, & annualem præstationem; Annalis siquidem præstatio est illa, quæ intra annum fit, annoque terminatur, annualis verò præstatio, quæ quot annis repetitur, ut observat *Rota in decis.931.num.5.coram Cerro, & decis.215. num.14. par.14. rec.*

3 Quæres 2. *Ex quo motivo assignari soleant livella volentibus ingredi Religionem.* Resp. Parentes, sivè Consanguineos solitos esse illa assignare, correspectivè ad renunciationes, quas emittunt, occasione ingressus in Religionem, ut observat *Rota in Lucana Livelli 9. Maii* 1707. *§. Profectò coram R. P. D. Ansaldo*, omni scientiarum genere instructo, satis quidem noto, ob incessantes labores, quibus Romanam illustravit, ac illustrat Curiam, sed nunquam satis laudato, & planè digno, ut in eminentioribus Sedis Apostolicæ muneribus occupetur.

4 Quæres 3. *An pro Livelli consequutione competat specialis hypotheca.* Resp. cum distinctione; Vel pro illa obligati sunt fructus certi alicujus fundi pro faciliori illius exactione, & super aliis bonis non competit hypotheca; Vel obligata sunt bona ipsa in genere, & absque alia specificatione, & tunc eadem hypotheca competit, *Rota decis. 74. num. 1. apud Torr. de Pact. futur. success.*

5 Quæres 4. *An facta semel assignatione alicujus fundi pro solutione livelli, possit Monialis variando illud ex fructibus alterius*

fundi petere, *Marant. respons. 96. tom. 6.* in negativam inclinat opinionem; Contrarium tamen probat *Hodiern. ad Surd. decis.266. num.21. & 22.* referens ità pluriès decisum.

6 Quæres 5. *An livellum imputandum sit in legitimam*. Resp. Negativè cum *Valasc.de Quart. cap.13. num.39. & Carvahl. de Utraq. Quart. part.4.cap.1.num.92.* Et ratio est, quia illud sortitur alimentorum naturam. Quod limita in illis Locis, in quibus dos succedit loco legitimæ, quia cùm illud consideretur tanquam pars dotis, ut videbimus infra *quæs. 7.* Consequenter detrahendum est ex portione legitimæ. Ità *Rota coram Emerix jun.decis.67. num.6. & 7.*

7 Quæres 6. *An livella veniant appellatione mobilium.* Resp. cum *Capon. discept. 81.per totam tom. 2.* Illa non esse res mobiles, neque stabiles, sed constituere tertiam speciem inter mobilia, & stabilia, venire tamen sub bonorum appellatione.

8 Quæres 7. *An livellum reputetur pars dotis Monialium, illiusque privilegiis gaudeat*. Resp. Affirmativè cum *Rot. in decis.39. num.13.part.11.& decis.153.num.10.part.19. rec.*& aliis authoritatibus, adductis supra §. 8. *num.* 13.

9 Quæres 8. *An promissio solvendi annuum livellum indigeat insinuatione, aliisque solemnitatibus*. Resp. Negativè, quia dicitur assignatum in causam piam, in quibus terminis solemnitas insinuationis non requiritur, *Card. de Luca de Donation.disc.60.num.43. & Rota coram Dunoz. jun. decis.775. in fine*. Addito, quod in annuis præstationibus talis solemnitas non est necessaria, ex juribus, adductis ab eodem *Card. de Luca de Donation. d. disc.60. num.33. & 34.*

10 Quæres 9. *An ex lapsu 16. annorum solutum præsumatur livellum vigore dispositionis statutariæ Urbis*. Resp. Negativè cum *Rot. decis.39. num.14.& 15. par.12. rec.* Tum quia statutum Urbis dotale debitum non comprehendit, cujus pars reputatur livellum, *ut diximus supra quæs.7.* Tùm etiam, quia ab illo Ecclesiasticæ personæ nullatenus afficiuntur; Quidquid dicat *Card. de Luca de Credit. disc. 149. num. 17. & 18.* ubi quod quamvis hodie cum hac Rotæ opinione communitèr vivatur, illius tamen sententiæ nunquam proprium intellectum captivare potuit.

11 Quæres 10. *An probetur exactio Livelli, ex quo Monialis se fateatur in aliqua summâ debitricem illius personæ, quæ suum Livellum exigebat*. Resp. Affirmativè cum *Rota in Romana Pecuniaria 16. Januarii 1702. §. Hocque admittebatur coram Reverendissimo Molines*, ubi quòd aliàs oporteret redarguere de nimiâ fatuitate Monialem, si voluisset accipere titulo mutui pecunias è manibus

nibus

nibus illius, qui ex causa livelli erat suus debitor.

12 Quæres 11.) *Quid faciendum sit de sorte illius Livelli, quod constitutum fuit in fructibus Officii vacabilis, posito, quod per illius extinctionem restituatur eadem sors.* Resp. cum *Card. de Luca de Regal. disc. 56. nu. 1. & de Offic. vacabil. cap. 12. num. 9.* Vel eandem sortem erogandam esse in alia similia jura, cum assignatione fructuum illi Religioso, cui debetur Livellum; Vel illam retineri posse à Monasterio cum hoc, quod suppeditare teneatur Religioso fructus illos, qui ex novo investimento perciperentur.

13 Quæres 12. *An expediat Monasteriis, quod Religiosi habeant Livella.* Resp. Affirmativè cum *Card. de Luca de Regular. disc. 56. num. 15.* quia hoc modo eximitur Monasterium ab illis expensis, quæ in infirmitate, vel aliis usibus ex necessitate, vel congruentia Religioso suppeditare teneretur. Necnon etiam, quia cùm tales redditus erogari soleant in emptionem librorum, aliorumque mobilium, Religioso statui decentium, ista, moriente Religioso, remanent penès Monasterium, vel Religionem.

14 Quæres 13. *An Episcopi curare debeant, ut Monialibus assignetur Livellum à Parentibus in illarum ingressu.* Resp. Affirmativè cum *Fagnan. in cap. Non amplius num. 47. de Institut.* ubi quod ità resolvit Sac. Congregatio Concilii, his verbis: *Debere Episcopum id curare omninò, ut Propinqui publico, validoque Instrumento se obligent ad certam annuam præstationem, quæ minor non sit duodecim aureis, pro necessitatibus Puellarum, donec vixerint,* asserens in fine, resolutionem hanc approbatam fuisse à Papa, non tamen ad eum finem, ut fiat nova Bulla super hac declaratione, sed ut singulis Episcopis petentibus ità respondeatur.

15 Quæres 14. *An Livella generalitèr pro omnibus Religiosis constituenda sint in aliqua determinata quantitate.* Resp. Negativè cum *Card. de Luca ad Concil. disc. 34. num. 9.* Sed illa regulanda esse à personarum qualitate, Monasteriorum solito, patrimoniorumque opulentia; Quod limitatur in eo casu, in quo illa determinata sint à particularibus Statutis, vel Constitutionibus alicujus Montis, vel alterius Loci pii; Tunc enim nulla habita ratione dd. circumstantiarum, in ea quantitate constituendum est, in qua determinatum fuit à dd. Constitutionibus, vel particularibus Statutis, ut practicatum fuit Neapoli à Gubernatoribus Montis Magni Maritaggiorum, ut vidimus *supra §. 1. numer. 1. & seqq.*

16 Quæres 15. *An Religiosus ante professionem possit Livellum aliis cedere.* Resp. Affirmativè cum *à Pont. consil. 155. num. 2. & Card. de Luca de Regular. disc. 65. num. 5.* quia, non adhuc emissa

 pro-

professione, nullum concurrit obstaculum, quod talem cessionem impediat, vel invalidam reddat.

17 Quæres 16. *An Monialis possit renunciare Livellum sibi in testamento relictum, reservata tantum illius parte, sola ejus vita durante, sub illa conditione, quod nihil Monasterio acquiratur.* Resp. Negativè cum *Pignatell. consult.* 117. *tom.* 8. quia illud acquisitum dicitur Monasterio, in cujus præjudicium talem renunciationem, sivè in toto, sivè in parte ex defectu dominii facere non potest Monialis, rationibus supra expensis *quæsito* 12.

18 Quæres 17. *An debeatur Livellum ea conditione assignatum, vel auctum, ut Religiosus perseverare teneatur in Religione, suamque professionem non impugnare, posito quod servatis servandis prætendat nullitatem dictæ professionis.* Resp. Negativè cum *Rota in Lucana Livelli 9. Maii 1707. per totam coram R. P. D. Ansaldo*, ea ratione, quia hoc casu Livelli assignatio, seù augumentum, dicitur correspectivum ad obligationem non impugnandi professionem; Ex correspectivis autem uno sublato, aliud subsistere non potest, ex notis juris principiis, apud *Giurb. decis.* 85. *n.* 20. *Gratian. discept.* 944. *nu.* 2. & *Rot. decis.* 816. *nu.* 4. *coram Cerro.*

19 Quæres 18. *An Regulares uti possint eorum Livellis non servata forma Constit. 60. s.m. Clementis VIII.* Resp. Negativè cum *Monacell. in Formul. tom.* 1. *fol.* 292. *num.* 7. ubi refert ita decisum à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium *in Florentina 21. Junii 1690. ad relationem cl.m. Card. Petruccii.*

20 Quæres 19. *An Livella per multum temporis spatium non exacta à Religioso, & magnam constantia summam, spectent ad ipsum, vel ad Monasterium.* Resp. cum *Card. de Luc. de Regular. discur.* 57. *num.* 5. & *per totum*, spectare ad Monasterium, Quod limitatur in casu, in quo Religiosus citrà fraudem pro illo tempore, quo livellum non exegit, pro suis extraordinariis indigentiis, & licitis usibus, debita contraxisse, vel mutuas pecunias accepisse constat, quia tunc tale debitum dissolvendum esset ex dd. redditibus livelli, non exacti, ut probat *Card. de Luca ubi sup.*

21 Quæres 20. *Quid requiratur ad hoc, ut Religiosus licitè possit exigere, & expendere livella.* Resp. cum *Monacell. in suo Formular. tom.* 1. *fol.* 243. *num.* 3. & *seqq.* id fieri posse cum illlis quinque conditionibus, explicatis supra §. 18. *num.* 3.

22 Quæres 21. *An consuetudo etiam immemorabilis, introducta à nialibus illorum Monasteriorum, in quibus servatur vita communis, exigendi livella, illaque expendendi independentèr à voluntate Superiorissæ, toleranda sit.* Resp. Negativè cum *Donat. Rer. Regul. tom.* 3. *tract.* 15. *de Vot. paupert. quæst.* 12. *per totam*, ubi quod Superioris-

riorissa tenetur talem consuetudinem extirpare, aliàs esset in malo statu, & Moniales tenentur obedire, & in casu contrario possunt adstringi, & graviter puniri.

23 Quæres 22. *An id permitti saltem possit mediante speciali Indulto, sciente, & tolerante Superiorissa*. Resp. Negativè cum *Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium in una Neapolitana 7. Aprilis* 1707. eo quia id opponitur directè conservationi vitæ communis, in cujus casu aliquæ Moniales Monasterii SS. Trinitatis dictæ Civitatis de facto obtinuerant ad eundem effectum dictum speciale Indultum, & nihilominùs recurrentibus aliis Monialibus, atque exponentibus periculum destructionis vitæ communis in eodem Monasterio, dicta Sacra Congregatio respondit: *Servandas esse omninò Constitutiones, non obstante Indulto*.

24 Idemque resolvit *Sacra Congregatio Concilii in Leodien. annuæ præstationis 6. Junii 1682. lib. 32. Decret. fol. 293. à tergo*, in qua Pater legaverat Monasterio, observanti vitam communem, in quo tres habebat filias, insignem summam, cum hoc, quod dictæ ejus filiæ ex illius fructibus perciperent annuos Florenos 300. pro suis particularibus indigentiis, earum vita naturali durante, & in casu contraventionis apposuerat pœnam caducitatis favore alterius substituti: Sac. enim Congregatio nè vulneraretur perfecta vita communis ejusdem Monasterii, non attentis supplicationibus omnium Monialium, dicta die rescripsit: *Monasterium posse acceptare legatum, & quoad legatum particulare servetur Decretum s. m. Clem. VIII.*

25 Quæres 23. *In quos usus regularitèr teneatur Religiosus convertere livella.* Resp. cum *Dian. coordin. tom. 7. tract. 1. de Dub. Regular. resol. 235. num. 2. Card. de Luca de Regular. disc. 56. n. 12. & Rot. decis. 584. num. 13. coram Buratt.* Illa teneri convertere in usus pios, & honestos, puta librorum, vel vestimentorum emptionem &c. & contrarium faciendo Monasterium, seù Religio, nedum id potest impedire, sed diversimodè disposita retractare, ut practicavit *Rot. in decis. 253. num. 11. part. 11. rec.* duplata *coram Bich. decis. 508. num. 12. & 13.*

26 Quæres 24. *An Religiosus, cui tenue livellum assignatum fuit, possit parciùs vivendo illud augere ex fructibus, quos honestè consumere poterat.* Quidquid dicat *Capon. tom. 2. discept. 129.* Resp. Negativè cum *Rodriquez quæst. Regul. to. 3. qu. 29. artic. 10. Navar. in Commentario de Regularibus can. Non dicatis 12. quæst. 1. num. 44. & Rot. decis. 508. num. 8. & seqq. coram Bich.* ea ratione, quia Religiosus emere proprio nomine, vel propriis pecuniis sub nomine alterius, nullatenus aliquid potest.

In-

27 Indequè *Sac. Rota in Romana Pecuniaria* 15. *Januarii* 1706. *coram Muto, & 22. Martii ejusdem anni coram Eminentissimo Domino meo Cardinali Caprara*. Respondit, Loca Montium, empta à Religioso ex pecuniis in sui facie cantantibus in Sacro Monte Pietatis, ad favorem extranei, non ad hunc, sed ad Monasterium spectare, eidemque Monasterio pertinuisse fructus eorundem Locorum Montium à die, qua empta fuerunt.

28 Quæres 25. *An Monialis possit dotem constituere Puellæ ad ingrediendum Monasterium cum vitalitio, sibi relicto sub illa conditione, ut expendere possit, in quos usus voluerit, & quatenùs in illius administratione se ingerat Monasterium, illud amittatur*. Resp. Affirmativè cum *Pasqualig. quæst. moral. centur.* 1. *quæst.* 68. *per totam*, quia in tali dotatione nullum considerari potest Monasterii præjudicium, & Monialesse habet uti mera executrix.

29 Quæres 26. *An Livellum Religiosi, transeuntis ab una ad aliam Religionem remaneat in prima, vel transferatur cum eodem in secunda*. Resp. cum distinctione; Vel secunda Religio non est capax bonorum, & tunc consolidatur cum proprietate penès obligatum solvere d. livellum; Vel est capax, ut erat prima Religio, & tunc sequitur Religiosum, nec remanet in prima Religione, quia Religiosi personam comitatur, pendetque ab illius vita, ità *Donat. Rer. Regul. tom.* 1. *tract.* 8. *de Transeunt. quæst.* 61 *num.* 9. & 10. cum aliis *apud Gob. consult. dec.* 12. *à n.* 3.

30 Quæres 27. *An dissoluto vinculo Religiosæ professionis per legitimam declarationem nullitatis ejusdem professionis, debeatur ampliùs livellum*. Resp. Negativè cum *Bordono de Legat. cap.* 3. *num.* 64. & *Paulutio dissert.* 36. *artic.* 2. *num.* 44. quos sequuta fuit *Rot. in Lucana Livelli* 9. *Maii* 1707. *§. Ponamus coram R. P. D. Ansaldo*, ea ratione, quia illud assignari solet pro Religiosis indigentiis, quæ cessant in eo, qui vitam religiosam amplius ducere non tenetur.

31 Quæres 28. *An cesset obligatio solvendi annuum livellum, assignatum intuitu illorum bonorum, quæ deinde avocata fuerunt ab assignante*. Resp. Affirmativè cùm *Rota in decis.* 785. *num.* 8. & 25. *parte* 18. *rec.* Ratio est, quia cùm bona, cujus intuitu promissum fuit livellum, non ampliùs reperiantur penès debitorem, nulla ratio patitur, ut contra ipsum dari possit actio pro solutione Livelli, quod cessat, cessante causa, cujus vigore emanavit obligatio, *Rota decis.* 315. *à num.* 10. *part.* 17. & *decis.* 90. *num.* 35. & *seqq. part.* 19. *rec.* Quod tamen procedit, quando nullam involvit indaginem tituli, seu annuæ præstationis inspectio, quia in casu opposito, possessori in summariissimo judicio manutentionis nul-

nullatenus præjudicat allegatio extinctionis tituli, ex adductis per *Rotam in decis.* 365. *num.* 28. *parte* 19. *recent.*

32 Quæres 29. *An liceat Monialibus etiam ad Superiorissæ nutum exigere, & in proprios usus expendere Livella in illis Monasteriis in quibus ob redditunm abundantiam introduci, & servari potest vita communis.* Resp. Negativè cum *Fagnan. in cap. Monachi à n.* 59. *usque ad finem de Stat. Monachor. & Monacell. in Formul. tom.* 1. *fol.* 243. *num.* 5. quia in his Monasteriis cessat motivum carentiæ rerum, ad vitam substentandam necessariarum, cujus intuitu Livellorum usus ab Apostolica Sede toleratur.

33 Quæres 30. *Sub quibus conditionibus soleant Sacræ Congregationes Livellorum usum approbare in illis Monasteriis, in quibus de facto servatur, vel commodè servari potest vita communis.* Resp. cum *Rota decis.* 405. *num.* 5. *vers. Tota part.* 16. *rec. & decis.* 410. *in principio eadem part.* id ad praxim reduci: *Dummodò annuus redditus à Procuratore Monasterii exigatur, & recta via deferatur in commune depositum, & tunc de manu Depositarii, & de licentia Superiorum ipse Orator recipiat quantum, & quatenùs opus fuerit, & in suas Religiosas necessitates applicet, applicatorumque quotiès à Superioribus fuerit requisitus, rationem reddat, & residuum in communes Monasterii necessitates erogetur.*

34 Quæres 31. *Circa annuam præstationem, relictam Moniali, ejus vita naturali durante tantùm, non integrè soluta in ipsius vita, an habeat jus Monasterium, illam ab hæredibus petendi.* Resp. cum distinctione, aut livellum fuit jam solutum, & penès tertium reperiatur, & in Monialis usum non conversum, & tunc ad Monasterium spectat; Aut solutum non fuit à debitore, vel illius hærede, ex condonatione Monialis, & tunc nihil potest petere Monasterium, ità *Gabriel à S. Vincentio in Miscell. de Remed. ignoran. dub.* 39. *disput.* 14. *fol.* 578. *num.* 404. & 407. *rubric. Quid sciri debeat circa solutionem post mortem Monialium, & Lezzana in Summ. quæstion. regul. tit. de Vot. paupert. num.* 34.

35 Quæres 32. *An Monialis remittere possit Consanguineis, vel aliis donare fructus sui Livelli.* Resp. Affirmativè, rationibus, & authoritatibus, adductis suprà §. 18. *num.* 30. *vers. An autem*, & latissimè *Paulutius in voto arbitramentali, pro veritate edito in una Cæsenaten.* quod registratur *in differt.* 36. *art.* 2. *per tot.* ubi solidè suam opinionem probat, omnibus contrariis respondendo; Atque à *n.* 38. ostendendo quod Religiosus per talẽ donationẽ non facit neque contra votum paupertatis neque contra justitiam: Non contra justitiam, quia ex consuetudine ab Ecclesia tolerata jus habet consumendi totam illam pecuniam, quæ pro ejus necessitatibus titulo Livelli sibi debetur: Neque etiam contra votum

piu-

paupertatis, quià id non facit uti Dominus, sed potiùs uti servus, nempè vigore tolerantiæ, & facultatis, ad nutum Superioris, sibi in professione reservatæ: *Non enim repugnat voto paupertatis* (sunt verba *Rotæ in decis.772. num.2. par.1. divers.*) *habere peculium ex permissu Superioris*, & concordat *Suarez de Paupert: Religios. lib.8. cap.15. num.7. 8. & 9.*

36 Ultra quod, *quando Religiosus* (sunt verba *Paulutii ubi supra num. 140.*) *habet certam quantitatem ad suam substentationem &c. tunc adest tacita licentia Superioris, eo enim ipso, quod Religioso certa quantitas præscribitur, censetur etiam dari tacitè licentia expendendi in honestos usus id, quod subtrahit ex parsimonia Beja d. cas. 32. vers. Respondemus in foro, Bonac. d. punct. 6. num. 17. & Navar. cons.3. num.46. de Stat. Monachor.* Qui *Paulut. num.90. & seqq.* congruam adducit responsionem communibus illis axiotibus, quòd quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio, & quòd jura omnia Religiosi post professionem transeunt in Monasterium, observando, id verum esse quoad proprietatem, & dominium, non verò quoad simplicem usum.

37 Imò non minus subtilitèr, quàm solidè in hujusmodi donationibus Livellorum illud considerat bonum *Valer. de Differ. utriusque fori verb. Munera num. 73.* quòd donatio illius rei, quæ à parciùs vivente fit, adjumentum præstat Religioso ad servandam abstinentiam, castitatem, modestiam, & sobrietatem.

38 Quidquid dicat *Donat. Rer. Regular. tom. 4. tract. 15. de Vot. pauper. quæst. 23.* illam terminans sequentibus verbis: *Quod est valdè notandum, ad compescendum quorundam bellos humores.*

39 Cæterum, quatenùs hujusmodi oppositæ sententiæ ad concordiam velint reduci, placet mihi conciliatio *Card. de Luca de Dot. disc. 167. num.175.* ubi postquàm citavit Authores pro utrâque sententia, subjungit, quòd, aut agitur de Livellis decursis, in vita Religiosi, & illa valeat liberè donare, quatenùs sint exacta, & remittere, si exacta non sint; Aut verò sermo est de ipso jure exigendi Livella in futurum decurrenda, & ista donare, & remittere non possit eâ vivâ ratione, quià quoad ista Monasterium habet interesse, ne Monialis dicta subventione se privet pro illis usibus, quibus aliàs in casu indigentiæ, vel ex debito justitiæ, vel charitatis deberet Monasterium providere. Conciliatio mihi videtur æqua, prudens, justa, rationabilis, tantoque Authore digna, quem meritò Juris nostri Illustratorem vocat *Sacra Rota in Callien. Liberationis à molestiis 7. Junii 1709. §. Etenim corã R. P. D. Aldobrando,* Eundẽ quà insignem theoricum, & practicum appellavit in *decis. 67. nu.5. par. 19. rec.* Necnon doctè

doctè femper fcripfiffe dicitur in *decif.* 288. *fub num.* 8. *part.* 10. *recent.*
40 Alio verò modo diftinguit *Rota coram Cerro decif.* 610. *à nu.*9. *ufque ad num.*11.ut fcilicet opinio affirmativa procedat quando *annua præftatio ita concessa, feu relicta fuit, ut concedens, vel relinquens noluerit illam in Monafterium transferri, fed omninò cedere in Monialis ufum, & eadem Monialis accipientis fuerit intentio, fecùs verò quando de tali voluntate non conftat.*
41 Volens autem in hac parte fequi dd. tres fententias, regiftratas fupra §.19.*num.*2. nullum habet opus utendi his, vel fimilibus conciliationibus, quia procedendo cum tenore dd. fententiarum, canonizatarum à plena *Signatura diebus* 17. *Septembris* 1705. & 12. *Februarii* 1706. *Ponente R. P. D. Cornelio*, cum refcripto *Sine præjudio trium conformium*,poffunt Moniales difponere ad eorum libitum de Livellis, ex quo ifta nullo modo cedere debent ad beneficium Communitatis, & ad difpofitionem Abbatiffæ; juxta præcifa verba fententiæ Vicarii Neapolitani, *de qua in* §. 17. *num.* 51. confirmatę in Urbe per tres conformes, ut fupra. Itaut licitum fit eifdem Monialibus de Livellis difponere, mediantibus Ordinibus *per altrettanti*, ut videre eft *fupra d.* §.17. *num.*40. & *feqq.*
42 Quæres 33. *Ad evitandas controverfias inter Superiores, & Subditos quoad livellorum,ufum poft profeffionem affignatorum, quænam cautela affignari poffit.Navarr. in confil.*65.*de Regulat. dub.*18. *num.*49. & *Donat.Rer. Regul. tom.* 1. *tract.* 11. *de Succeff. Monafter. quæft.* 45. affignant fequentem, ut Teftator leget Monacho livellum, quoufque Superior ejus ufum illi permittat, & ex eo tempore, quo illum non permiferit, non debeatur amplius. Hoc enim modo falvatur proprietatis vitium, quia Regularis illo utitur dependenter à voluntate Superioris, nec aliquid turpe continet dicta conditio, dum Religiofus dependentèr à voluntate fui Prælati eft capax livellorum ufus, ut obfervat *Jor. de Solemnit. in contract. Minor. gloff.*22. §. 16. *num.* 24.
43 Ex alia verò parte non amplius debetur poft contradictionem Superioris, quia fub dicta conditione relictum fuit, & illa purificata adeft lex clara pro non continuatione, egregiè *Novar.apud Ricc.collect.*308.*verf.Benè verum,* & *verf.Verum ad effugiendas.*
44 Quæres 34. *An fuftineatur Livellum, Novitio relictum fub ea conditione, ut pertineat ad ipfum independenter à voluntate Superioris*.Refp. Affirmativè cum *Bordon. de Paupert. Relig. cap.*18. *à num.*40. & latiffimè *Jo: Maria Novar.* apud *Ricc. collectan.*3027. *verf. An autẽ donatio*,ea ratione,quia ex benigna legis interpreta-
B tione

tione præsumendum est, Testatorum sensisse, ut nihil facti ad Superiorem pertineat, & concordat *Suar. de Stat. Relig. tom. 3. lib. 9. cap. 14. num. 3. & seqq. Caren. resol. 199. per totam, Franch. decis. 718. per tot.* referens ità decisum in M.C.V. *Seraph. decis. 744. n. 9. Pen. decis. 1214. n. 7.* Quid quid dicat *Censal. ad Peregrin. de Fideicommiss. art. 6. vers. Neque vim facit fol. 5.*

45 Quæres 35. *An conditio apponi solita Livellis, ut nihil Monasterio acquiratur, adversetur voto paupertatis, & obedientiæ.* Resp. Negativè cum præcisis verbis *S. Rotæ in Romana Pecuniaria 16. Januarii 1702. §. Firmato coram Reverendissimo Molines*, ibi: *Certum est, quòd ubi in Livellis, aliisque Legatis, relictis Monachis, & Monialibus, apposita fuit conditio, ne quidquam acquiratur Monasterio, hæc conditio non videtur adversari voto paupertatis, & obedientiæ, nec tanquam illicita reiicienda venit, sed intelligenda modo compatibili respectu usus, qui conniventibus oculis Superioris permittitur personis Regularibus*, ubi innumeros citat, & sequitur concordantes, frustrà hic transcribendos, Quandò enim adducitur Rotæ authoritas non est ampliùs quærenda ratio; ut dicebat *Bonden. colluctat. legal. 3. num. 7.* quem sequutus fui in *Dissert. Theolog. Legal. de Matrim. §. 26. num. 17.*

46 Quæres 36. *Quid dicendum in casu, in quo livellum ea conditione relictum sit, ut nihil ad Monasterium pertineat, specificando tam quoad dominium, quàm quoad usum.* Respondeo hoc casu eandem conditionem haberi pro non apposita, & de jure impossibilem cum *Rota coram Penia decis. 1214.* in cujus casu agebatur de hæreditate, relicta Religioso, cum hoc; quod ad suum arbitrium absque Superioris licentia, tanquam liber homo, de illa posset disponere, ac si professionem non emisisset; Et propterea in his terminis, vitiata dicta conditione, firmum remanet livellum favore Religiosi, juxtà ejus capacitatem, ut notat *Fagnan. in cap. Monachi num. 25, de Stat. Monac.*

47 Quæres 37. *An Religiosus ex fructibus sui Livelli possit censum vitalitium ad sui favorem constituere.* Resp. Negativè cum *Rota decis. 508. num. 9. coram Bich.* Ea ratione, quia id oppositum est paupertatis voto, etiam si tales pecuniæ sint de illis, quas poterat in honestos usus consumere, ex quo Religiosus est solùm usurarius dd. reddituum, & concordat *Rodriqu. quæst. Regul. tom. 3. quæst. 19. art. 10. columm. 3. sub principio vers. Non tamen.*

48 Quæres 38. *An legatum annuum, filio relictum, & emittenti professionem in Religione incapaci, si deindè Apostolica authoritate transferatur ad Religionem capacem, eidem debeatur, & à quo tempore.* Resp. cum *Rot. dec. 643. per totam coram Buratt.* deberi à die

transitus ad secundam Religionem, & in dicto casu agebatur de insigni legato annuorum scut. 4000.

49 Quæres 39. *An Religiosus sibi reservans in Religionis ingressu certam summam, puta scut.*500. per convertirli in usi pii, *istos usus declarare possit postquàm professionem emisit.* Resp. Affirmativè cum *Rot. decis.*464. *per totam part.*19. *rec.* quia non agitur de dispositione quoad dominiũ, quæ prohibita est Religiosis, sed de simplici declaratione dictorum usuum; Declarans autẽ nihil de novo disponit, sed aperit dumtaxat, quod latebat, juxta *Textũ in l. g. Adeo ff. de Acquir. rer. domin.* ubi adducitur exẽplum excutiẽtis granum à spicis, quem sequitur *Card. de Luca de Fideicomm. disc.*55. *num.*5.

50 Quæres 40. *Ad quem spectet Livellum illud, in quo post mortem Religiosi substitutus fuit Conventus, posito, quod idem Religiosus profiteatur in uno Conventu, & deindè scr. ser. affilietur alteri Conventui,* juxta ea, quæ observavi in *Institutionibus Criminalibus lib.*4. *tit.*7. *à num.*93. Respondeo, quod si loquamur de Theatinis, debetur Conventui illi, in quo emissa fuit professio, ex eorundem specialibus Constitutionibms *apud Capon. disceptat.* 97. *num.*20. Si verò sit sermo de aliis Religionibus, spectat ad illud Monasterium, cujus tempore mortis est filius, rationibus per me adductis, *ubi supra,* & ita respondit *Congregatio particularis à Sanctissimo Domino Nostro deputata in una Romana annui redditus* 7. *Junii* 1707. pro quodam Religioso Carmelita.

51 Quæres 41. *An pro consequutione Livelli habeat locum subsidiarium remedium Auth. Res quæ C. Comm. de legat.* Resp. Affirmativè ex adductis supra §. 16. *num.* 13. & addo *Rotam in decis.*153. *num.*8. *seqq. par.*19. *rec.* ubi alios cumulat concordantes.

52 Quæres 42. *An locus sit immissioni in Salviano pro consequutione Livelli.* Resp. Affirmativè cum *Rot. decis.*584. *per totam coram Buratt.* rationibus in illa latè expensis.

53 Quæres 43. *An Superiorissa possit permittere, ut Moniales administrent, & exigant eorum Livella, illaque convertant in eorum usus, licitos tamen, & honestos, sed independentèr ab eadem Superiorissa.* Resp. Negativè, estque casus de indubitabili, utì decisus *à s. m. Clement. VIII. in ejus Constit.*60. §. 3. quam sequuntur Authores, supra adducti §. 18. *num.* 37. quibus addo *Quarant. in Summ. verb. Casus reservati fol.*157. referens ità decisum à Sacra Congregatione Concilii, & *Capon. Disceptat. Forens. tom.* 4. *cap.*288. *num.*45.

54 Quæres 44. *Quandò non constat, ea intentione relictum fuisse Moniali Livellum, ut non acquiratur Monasterio, an in hoc dubio spectet ad ipsam, vel ad Monasterium.* Resp. cum *Rot. decis.* 100. *num.*7.

num.7. par.13. rec. spectare ad Monasterium, & rationem ibidem adducit *Rota* his verbis, *quid licèt Monialis sit capax retentionis annuæ præstationis pro suis necessitatibus, absque participatione Monasterii, hoc tamen procedit, quandò ità concessa, seù relicta fuit, ut concedens, seù relinquens noluerit, illam in Monasterium transferri; sed omninò cedere in Monialis usum, & eadem Monialis accipientis fuerit intentio, secùs verò, quandò de tali voluntate non constat, hoc enim casu acquiritur Monasterio.*

55 Quæres 45. *Quid debeat facere Superiorissa de Livellis Monialium illorum Monasteriorum, in quibus servatur vita communis.* Resp. cum *Fagnan. in Cap. Insinuante num.23. Qui Cleric. vel vovent.* Prospicere debere necessitatibus illius Monialis, cujus intuitu solvitur Livellũ, & residuum in usus totius Monasterii convertere, referendo ità decisum à Sacra Congregat. Concilii in *una Panormitana*, de qua suprà *§.13. n.7. & in cap. Non ampliùs num.47. vers. Ad quartum de Institut.* ubi quod hoc apptobatum fuit à Papa, & concordant *Barbos. de Potestat. Episcopi parte 3. allegat.101. num.7. & ad Concil. sess.25. de Regular. cap.2. num.13. & Rot. decis.75. in fin. apud Torr. de Pact. futur. successión.*

56 Quæres 46. *An Monialis possit censum vitalitium constituere ex summa, ei legata, non pro Livello determinatè, sed ad suum libitum expendenda.* Accedente Superioris licentia, & voluntate Legantis, ut dominium talis summæ nullatenùs acquiratur Monasterio, sed cedere debeat in Monialis usum. Resp. Affirmativè *cum Barbos. ad Concil. sess. 25. de Regular. cap.2. num. 14. & de Potestat. Episcop. parte 3. allegat. 103. num.10.* & concordant *Cordub. Casuu. Conscient. quæst.54. dub. ult. Sanch. ad Pręcept. Decalog. tom.2. lib.7. cap.23. num.5. & Veg. in Summ. Cas. Conscient. cap.32. cas.12.* penès quos recognosci possunt rationes, quæ pro hac opinione militant.

57 Quæres 47. *An possit Regularis percipere fructus illius summæ, quæ ex ejus persona delata fuit à Monasterium.* Resp. De Jure nullo modo id esse permissum, ea ratione, quia quidquid acquirit Monacus non sibi, sed Monasterio acquirit. Cæterum solet Apostolica Sedes ex justa causa, mediante speciali gratia, id indulgere, ut practicavit *in una Neapolitana 24. Maii 1670. lib.16. Decret. Sac. Congregat. Concilii fol.345.* in qua concessit Religioso Indultum percipiendi fructus scut. 500. ex ejus persona ad Monasteriũ perventorum cum duabus tamen conditionibus, prima, ut ad eundem effectum expressus accederet consensus sui Cõvẽtus, secũda verò ut idẽ Religiosus ad nutũ Superioris in suas indigẽtias, dũtaxàt, & Religiosos usus dd. fructus impendere posset.

Quæres 48.

58 Quæres 48. *An Religiosus sine peccato possit mutuo dare pecuniam, sibi ex Livello solutam*. Resp. Affirmativè cum *Petr. de Ledesm. in Addition. ad Summ. D. Thom. tom. 2. cap. 4. dub. 2. fol. mihi 97. Peyrin. de Religios. Subdit. tom. 1. cap. 2. quæst. 2. num. 5. Sanchez in Summa tom. 2. lib. 3. cap. 19. num. 65. & Dian. Coordinat. tom. 7. tract. de Paupertat. Religios. resolut. 14. num. 2.* Ratio est, quià nullum per tale mutuum fit præjudicium, neque Monasterio, neque Religioso, quià suppono, quòd mutuatarius facultatibus abundet, valeatque mutuum suò tempore promptè restituere: *Ità etiàm senserunt multi viri docti ex Theatinis, & Jesuitis, à Diana consulti*, ut his verbis testatur ubi suprà. Quidquid dicat *Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79.*

59 Quæres 49. *An Monialis, vel Religiosus, cui Consanguineus, vel Amicus paratus est aliquam summam donare, peccet si illam non acceptando, eundem Amicum, vel Consanguineum rogat, ut dictam summam alteri donet*, Resp. Negativè cum *Dian. Coordinat. Oper. Moral. tom. 7. tract. 2. de Paupertat. Relig. resol. 8. per tot.* ubi *num. 6.* quòd ità consultus respondit cuidam Moniali; & ejusdem sententiæ fuerunt multi Viri docti, & concordant *Turrian. 2. 2. tom. 1. disput. 85. dub. 3. Cened. de Paupert. Religios. dub. 29. num. 4. Filliuc. quæst. Moral. tom. 2. tract. 34. cap. 3. quæst. 8. n. 62.* ubi illam requirit conditionem, ut donatio fiat nomine Consanguinei, vel Amici, non autem nomine Religiosi, & *Gratian. disceptat. for. 202. num. 35.*

60 Ratio est, quià Religiosus in his circumstantiis nihil aliud facit, quàm petere, ut dicta res, vel summa, alteri donetur, quod nullum involvit actum, Monasterio prejudicialem, ex quo Amicus, vel Consanguineus, si nolunt, possunt non donare rem, vel summam, exhibitam, seù spontè oblatam.

61 Quæres 50. *An Monachus, vel Monialis possit ex eorum Livellis facere eleæmosynas.*

62 Præsens, quæstio commodè resolvi potest *ex probatis supra quæst. 32.* quià si permissum est Religiosis Livella indifferentèr donare, mùltò magis id poterunt facere, mediante eleæmosyna, ut de se patet. Cæterùm, quatenùs procedi velit cùm sententiâ illorum, qui contrarium substinent respectu dictæ quæstionis, præsenti quæsito Respondeo affirmativè cum *Riccio in Prax. tom. 2. resolut. 25. per totam*, & concordant *Sous. in Explicat. Bull. Clem. VIII. §. 7. num. 91. & Dian. Coordinat. tom. 7. tract. 3. de Paupertat. Religios. resol. 64. per tot.*

63 Ratio est, quia in illorum sententia, qui substinent, Religiosis prohibitum esse donationes facere, nihil aliud prætendi potest,

test, quàm quòd Religioso prohibeatur donare, facere autem eleæmosynam propriè non est donare, ut ex se notum est.

64 Quod ampliat *Riccius, ubi supra, & Graff. consil. 1. de Regular. lib. 2.*, ut multò magis procedat, si Consanguinei ejusdem Religiosi essent pauperes, nobiles, aut senes, quod admittunt etiam *Donat. Rer. Regular. tom. 1. tract. 15. de Largition. Muner. quæst. 9. num. 2. & Gratian. disceptat. 880. num. 21. & 22. & Rot. decis. 606. num. 7. coràm Cavaler.*

65 Quæres 51. *An Religiosus disponere possit de illis eleæmosynis, quæ annuatim ei per Benefactores assignatæ sunt*; Accedente Superioris licentia, Respondeo posse, ad limites tamen suarum indigentiarum, convertendo residuum in utilitatem Conventus, ut resolvit *Sac. Congregat. Concilii in Andegaven. 11. Julii 1671. lib. 27. Decr. fol. 148. à tergo.*

66 Quæres 52. *An permittendum sit Religioso, ut pro substentatione suæ Matris, constitutæ in statu magnæ paupertatis, uti possit eleæmosynis, sibi à piis Benefactoribus elargitis.* Sac. Congreg. Conc. *in Minòrum Observantium 13. Junii 1684.* Id indulgendum esse censuit, *Lib. 18. Decret. fol. 484.* aliasque resolutiones refert *Nicol. in Floscul. Verb. Auxilium nu. primo.* Quod à pari videmus practicari in simili Indulto, ut ad succurendum Matri, senio confectæ, Religiosus extrà Claustra degat, dummodò tamen extrà illa non pernoctet, *ut resolvit Sac. Congreg. Concil. in Romana Indulti 27. Augusti 1695. lib. 45. Decr. fol. 499. à tergo & 14. Januarii Lib. Decr. 46. fol. 4.* & practicavit Sacr. Congregatio Episcoporum *in Æsina anno 1709.* favore Religiosi Reformati Sancti Francisci Massacii, Æsinæ Diœcesis.

67 Quæres 53. *An Religiosus possit donatione remuneratoriâ dare id, quod superest ex ejus Livello.* Respondeo affirmativè cum *Hieronym. Cened. de Paupert. Religios. dub. 27. Barthol. à S. Faust. in Thesaur. Religios. lib. 8. quæst. 227. num. 4. Gratian. disceptat. for. 202. à num. 1. & Dian. Coordinat.* alios citante, & contrariis satisfaciente *tom. 7. Oper. Moral. tractat. 3. de Paupertat. Religios. resol. 47. num. 2. & per tot.* ubi illam adducit bonam rationem, quòd sub prohibitione simplicis donationis, vel donationis modalis, nunquam censetur contineri donatio remuneratoria, quæ propriè donatio non est, efficiturqur hæc donatio de re, ex gratitudinis virtute, moralique honestate debita. Facitque etiam ratio illa, quam his verbis adducit *Donat. Rer. Regul. tom. 4. tract. 3. de Vot. Paupertat. Religios. quæst. 15. num. 3. Decet Religiosos gratos esse, & piis operibus intendere.*

68 Verum tamen est, quòd talis donatio remuneratoria debet æquipollere meritis, non autem illa superare, adhoc, ut valida

fit,

ſit, eâ ratione, quià in exceſſu diceretur donatio ſimplex. *Ità Diana ubi ſupra reſol.48. per totam, & Donat. Rer. Regul. tom. 1. tract.15. de Largit. Muner. quæſt.8. num.8.* ubi admittit, & benè, quòd remuneratio poteſt excedere valorem meritorum, & beneficiorum in quarta parte, putâ, ſi merita valeant 12. à Religioſo poſſunt donari 16. Quod eſt de mente *Divi Thomæ 2. 2. quæſt.106. per tot.*, ubi ad rem ait, quòd *qui recompenſat æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit, & ideò gratiæ recompenſatio ſemper tendit, ut pro ſuo poſſe aliquid maius retribuat.*

69 Quæres 54. *An Religioſus teneatur rationem reddere de redditibus, perceptis ex bonis acquiſitis ex ſuo Livello.* Reſpondeo affirmativè, cum *Sacra Congregatione Concilii in Mantuana Adminiſtrationis 28. Novembris 1676. Lib.29. Decr. fol.12. ad 2. dubium,* in cujus caſu ingreſſurus Religionem antè profeſſionem teſtamentum fecerat, in eoque ſibi reſervaverat annuum Livellum, ad effectum illud erogandi in ſui commodum, abſque eo quod Jus aliquod favore cujuſcumque perſonæ acquiſitum dici poſſet; Cùm enim progreſſu temporis ex fructibus dicti Livelli prædia, & cenſus acquiſiviſſet, fuit quæſitum in dicta Sacra Congregat. an de redditibus, perceptis ex bonis, poſtea acquiſitis, teneretur rationem reddere, cui *Sac. Congregat. Reſpondit Affirmativè.*

70 Quæres 55. *An peccet contra paupertatis Votum Religioſus ille, cui à Conſanguineis conſiderabilis ſumma data fuit, ad ſui libitum expendenda, cum hoc, quòd dominium ejuſdem ſummæ remaneat penès Conſanguineum.* Quidquid dicat in hac parte *Souſ. in Explicat. Bull. Clem. VIII. §. 2. num. 73.* eâ ratione, quia hoc caſu Religioſus dicatur nudus miniſter. Reſp. Negativè, quià in ſubſtantia Religioſus hoc modo haberet abſolutum uſum pecuniæ, qui paupertati repugnat; *Ità Dian. Coordin. tom. 7. tract. 3. de Paupertat. Religioſ. reſol.25. num.2.* ubi quòd contraria opinio ei videtur nimis laxa, & contra perfectionem paupertatis Religioſæ, qualis videtur etiam mihi, & propterea in praxi nullo modo recipienda videtur opinio *Souſæ.*

71 Quæres 56. *An debeantur Livella illis Monialibus, quæ poſt aſſignationem eorundem amplexæ ſunt vitam communem, vel potiùs per talem mutationem illa remaneant extincta.* Reſpondeo deberi. *Ità reſolvit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium prima Februarii 1692. in una Caſenaten.* juxtà verba illa Supplicis Libelli, & Reſcripti. *Eminentiſſimi, e Reverendiſſimi Signori. Le Monache delli Monaſterii dello Spirito Santo, e di S. Catarina di Ceſena umiliſſime Oratrici dell' EE. VV. riverentemente alle medeſime rappreſentano,*

sentano, ritrovarsi alcuni Particolari, li quali ricusano di pagare loro i Livelli, & altri assegnamenti, dovuti ad esse per l'Instromenti, sotto pretesto di non essere ora tenuti, doppo che l' Oratrici hanno abbracciata la vita commune, per conformarsi alla loro Regola di S. Benedetto, al Decreto del Concilio di Trento, alle Costituzioni de Sommi Pontefici, & anche a i Decreti dell' EE. VV. Onde supplicano le medesime con ogni umiltà degnarsi dichiarare, detti Livelli, & Assegnamenti, dovuti per altro, si debbano loro di presente, come prima, non ostante la vita commune, introdotta ne loro Monasterii, quale non potrebbero continuare senza questi sussidii per l' insufficienza dell' entrate de Monasterii &c. Quas Deus, &c. Sac. Congregatio &c. attentis narratis, censuit, & decrevit, prædictos Livellos, seù annuas præstationes deberi. Romæ prima Februarii 1692. G. Card. Carpineus Præfectus. A. Altovitus Secretarius. Idque summâ ratione ad facilitandam introductionem vitæ communis, ubi illa non servatur.

72 Quæres 57. *Quo tempore præstandum, seù solvendum sit Livellum.* Respondeo, præcisâ particulari conventione, quæ servanda est, illud deberi quolibet mense, ad instar alimentorum, rationibus benè perpensis per *Rotam coràm Merlin. decis. 671. n. 31.* Quamvìs non desint asserentes, illud solvi debere in principio cujuslibet quadrimestris, ut videre est apud *Ameudol. in Addition. ad Franch. decis. 155. sub num. 1.*

73 Quæres 58. *An relicto Livello Religioso, vel Moniali in aliquâ determinatâ, vel indeterminatâ summâ, dummodò non excedat ex gr. scuta 80. annua, cum hoc, quod si Religiosus, vel Monialis pro uno, vel alio anno Livellum non petat, istud non debeatur, an dicta conditione non obstante, illud debeatur, & peti possit à Monasterio:* Quidquid dicat *Capon. disceptat. 97. per totam.* Resp. Negativè ex defectu conditionis non impletæ, seù petitionis Livelli non factæ à Religioso, vel Moniali, legatum enìm conditionale, non purificatâ conditione, nunquàm debetur, *Leg. Si ità legatum §. Illi si volet, & Leg. Senatus §. primo ff. de Legat. primo*, & alios citat *Cardin. Tusc. conclus. 583. num. 34.* & faciunt animadversa *supra quæsito 33. seu num. 43.*

74 Neque vis ulla fieri potest in ratiociniis, lato calamo adductis per *Caponem ubi supra*: Si enìm nullum fieri valet fundamentum in decisionibus illarum Causarum, quæ terminatæ fuerunt per concordiam, *ut latè probavi in Instit. Crimin. lib. 2. tit. 8. nu. 255. & seqq.* quantò minùs fundamentum fieri poterit in dictâ Scripturâ *Caponi*, dùm ipsemet in fine refert, quòd Causa terminata fuit per concordiam: Ultra affectionem illam, quæ fascinare

nare solet Advocatorum intellectum, ad opportunitatem Causarum pro Clientibus scribentium, teste experientiâ, & id observante *Cardinali de Luca de Emphyt. disc.* 58. *sub num.* 12. cùm aliis, quos sequntus fui in meis *Institut. Criminal. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 242. *& sequent.*

75 Quæres 59. *An omnia hucusque probata procedant indifferentèr respectu omnium Monasteriorùm, cujuscumque Religionis*. Resp. Negativè, quià in illis Monasteriis, in quibus perfectè servatur vita communis, Religiosus, & Religiosa nullo modo actum aliquem facere possunt circa Livella; sed hæc directè solvi debent in manibus Superioris, vel Superiorissæ, in quorum deindè arbitrio repositum est illa implicare in utilitatem Monasteriorum; Habito tamen respectu ad particulares indigentias illius, cujus contemplatione Livellum debetur, & solvitur ex animadversis per *Donat. Rer. Regul. tom.* 4. *tit. de Vot. Paupertat. Religios. tract.* 15. *quæst.* 11. *num.* 7. *& supra quæsito* 43. *& resolvit Sacra Congregatio Concilii in una Panormitana apud Fagnan. in cap. Monachi num.* 61. *de Stat. Monachor. & apud Crispin. nella Visit. Pastoral. parte* 2. §. 42. *fol.* 338. his verbis *Congregatio Concilii censuit, hos redditus ab ipsamet Abbatissa exigi, & ad ipsius manus rectà deferri oportere, de quibus tamen pro suo arbitrio subveniet in primis necessitati Monialium, quarum intuitu hi redditus Monasterio obvenerunt; Cæterùm quod superErit, in communem Monasterii usum convertet.*

76 Quæres 60. & ultimo; *An procedant respectu omnium Religionum, & Religiosarum Communitatum*. Resp. *cum Sac. Congregat. Concilii in una Theatinorum facultatis alienandi* 28. *Januarii* 1679. *Libr.* 30. *Decret. fol.* 253. quod in hac parte videtur diversimodè procedendũ cũ Theatinis, quibus hodiè indifferentèr permissus videtur Livellorum usus, quidquid ab initio illorum Congr. dicendum esset, & attento tenore propriarum Constitutionem; ut legitur *in Folio dicta die distributo*, his verbis: *Imò Vitalitii particularis usus, per Constitutiones prohibitus, hodiè permittitur, quia frigefacta Fidelium charitate, sibi ita consulunt, ut vivant, & potiùs fortè conveniens foret, ut bona possiderent in communi, quàm in particulari.*



Dubia Celebrationis Missarum.

Dum hæc sub prælo erant, Sacra Congregatio Concilii mandavit mihi, ut circa infrascripta dubia, meum pro veritate sensum aperirem, quem laborem ad Studiosorum gratiam, & quotidianum usum, hic subnectere curavi.

2 Primum dub. *An onus Missarum, à piis disponentibus injunctum Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, absque designatione Ecclesiarum, adimpleri debeat in eorum respectivè Ecclesiis; Vel sit iis in facultate celebrari faciendi Missas, vel in aliis Ecclesiis ejusdem Ordinis, vel ubilibet, Et quatenùs affirmativè quoad primam partem.*

3 Secundum dub. *An, & sub quibus conditionibus sit indulgendum, stante penuria Sacerdotum, in aliquibus Ecclesiis Urbis, tàm Parochialibus, quàm aliis, ut Missæ celebrentur alibi.*

Em̃. & Rev. Dom̃. Fateor ingenuè arduam, ac perdifficilem mihi fuisse commissam provin-
4 ciam, de mandato hujus Sacræ Congregationis, meum pro veritate proferendi sensum circa dicta duo dubia, ad hoc, ut super illis certa regula statui valeat; Cæterùm, ut eo meliori, quo possum, modo, muneri, mihi injuncto, satisfaciam.

5 Præmitto cum *Rota in decis.* 1149. *num.* 1. *coram Seraph.* difficile esse in circumstantiis dd. generalium dubiorum aliquid certè affirmari posse, dùm in facto nihil particularitèr deducitur, ex quo desumi possint conjecturæ voluntatis piorum Benefactorum! Circa universalia enim sermones sunt faciliores, circa particularia autem veriores dicebat *Aristotel. lib.* 2. *Ethic. cap.* 7. *in princ.*

6 Præmitto secundò, eadem dubia intelligi posse, tam de oneribus Missarum manualium dumtaxat, quàm respectu onerum Missarum perpetuarum, quæ acceptari nullatenùs possunt, nisi prævià speciali, & expressà licentià Episcopi, vel Superioris Regularis, procedentium cum illis cautelis, quæ demandatæ fuerunt *in Decretis Generalibus hujus Sac. Congr. ann.* 1625. §. 10. Pro quarum Missarum perpetuarum celebratione in determinatà Ecclesià, ex parte relicti, seu legati Missarum, urgere videntur speciales rationes, & congruentiæ, de quibus egregiè *Amostaz. de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 5. *de Miss sub. num.* 14. & 19. Ex parte verò illorum, qui dictas Missas celebrare debent urgere videtur *Const.* 43. *f. m. Urbani VIII.* §. 9. & *duobus seqq.* in qua, ut his verbis no-

notat *cl. m. Card. de Laur. in Epitom. Canon. verb. Missarum onera, fol. mihi* 320. *Missarum perpetuarum onera acceptari non permittant Episcopi, Generales, ac Provinciales, nisi in Ecclesiis tot sint Sacerdotes, quot sufficiunt ad satisfaciendum pro novis, & antiquis oneribus*. Si enim in his terminis iidem Superiores prospicere debent, ut in illis Ecclesiis, in quibus perpetuarum Missarum onera relinquuntur, tot adesse debeant Sacerdotes, quot sufficiant ad satisfaciendum, tam antiquis, quàm novis oneribus; plusquam manifestè infertur, quod eadem perpetua onera adimpleri non possint extra illas Ecclesias, in quibus relicta fuerunt, ut consideranti patet, ac notat *Pasqualig. de Sacrifi. nov. leg. q.* 996. *n.* 5.

7 Præmitto tertiò, verba illa dd. dubiorum, *absque designatione Ecclesiarum*, non solum accipienda esse pro designatione expressâ, & literali, sed etiam pro tacitâ, & conjecturali: *Non solum enim habetur pro expresso, quod verbis specialibus designatur, sed etiam quod colligitur ex mente, & conjecturis*; ut omissis generalibus, his verbis notat *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 908. *num.* 2. & meliùs *q.* 238. per totam; Itàut deficiat, tam expressa, quam conjecturalis Ecclesiarum designatio, quià si ista concurrat, tunc nullum adest arbitrium Missas alibi celebrandi, sed omninò celebrari debent in Ecclesiis, à piis Benefactoribus quomodocumque designatis, ut post antiquiores, quos citant, & sequuntur, notant *Azor. Instit. Moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 8. *Navarr. in Manual. cap.* 25. *num.* 134. *Pheb. decis. Lusitan.* 100. *num.* 3. & 4. *Zerol. in Prax. Episcop. par.* 1. *verb. Missa, vers. Ad tertium in fine, Homobon. de Bon. in Examin. Ecclesiastic. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13 *quæst.* 123. *Graff. Aurear. decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 53. *num.* 9. *Riccius in Praxi part.* 4. *resolut.* 95. *per tot. Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. qu.* 1139. *per tot. Novar. in Summ. Bullar. comment.* 79. *num.* 9. *Pac. Jordan. tom.* 1. *var. resolut. lib.* 4. *de Sacrificio Missæ num.* 526. *Pignatell. consult.* 276. *num.* 1. & *per tot. tom.* 1. *juxta Romanam impressionem, & Clericat. de Sacrific. Miss. decis.* 36. *num.* 22. & *Rota coram Coccin. decis.* 1522. *num.* 2.

8 Idque adeò verum est, ut procedat etiam si hæredes fundatoris consensum præstarent, ut Missæ ab eo relictæ, in particulari Altare, vel Ecclesia celebrandæ, alibi possent celebrari; Voluntas enim hæredum subordinata esse debet voluntati Testatorum, non autem eis permissum est illorum judicia intervertere, & non servare, ut præter nimis notas generales regulas, in nostris præcisis terminis observant *Homobon. de Bon. in Examin. Eccles. tract.* 9. *cap.* 10. *vers. Sexta fol.* 239. *Fraxinell. de Obligat. Sacerdot. section.* 4. *conclus.* 4. §. 10. ibi: *Non est enim adimplenda vo-*

luntas hæredis, sed Testatoris, *Ugolin. de Potest. Episcop. cap.* 14. *num.* 4. *Marchin. de Sacramen. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. *A versf. de Sacrif. Miss. qu.* 11. *sect.* 18. *vers. Octavo fol.* 308. *Francisc. de Lug. de Sacrament. lib.* 5. *de Miss. cap.* 11. *qu.* 5. *num.* 47. & *seq. Capon. discept.* 196. *num.* 14. *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst* 1140. *per tot.* & *Pignatell. consult.* 125. *partitèr per tot. tom.* 1. *juxta Romanam impressionem*, ubi, quod hæc Sac. Congr. in una *Bononien.* 23. *Februarii* 1647. quæ est in *libr.* 18. *Decr. fol.* 300. condemnavit heredem ad reiterandam celebrationem in Ecclesia, designata à Testatore; Multoque minus ad id se extendit facultas, & arbitrium illorum, quibus Missarum cura demandata est, ut notat in specie *Nicol. in Flosc. ver. Missa num.* 38. *in fine*.

9 Quamvis autem inter conjecturas, quas in hac parte considerant Doctores, annumeretur illa Ecclesiæ, in qua pius Benefactor sepultus est, ex quo honestius fit Missas in illa Ecclesia celebrare, in qua defuncti corpus requiescit, juxta *consilium* 99. *Abbat.* sequutum *à Riccio in Praxi part.* 4. *resol.* 97. *num.* 1. *Pasqualig. quæst. mor.* 238. *in fin. Pheb. decis. Lusit.* 100. *num.* 11. *Portell. de Dub. Regul. Verb. Missa num.* 13. *Pellizar. in Manual. Regular. tract.* 5. *cap.* 9. *sect.* 4. *num.* 123. & *Rota coram Cavaler. decis.* 494. *num.* 4. & 5. ubi quod præsumitur, Testatorem habere majorem affectionem erga illam Ecclesiam, in qua sepultus est.

10 Nihilominùs illa videtur potiùs congruitas, quàm solida ratio figendi pedes in tali consideratione pro determinanda Ecclesia, vel Altari, in quo necessariò celebrari debeant Missæ; Nec desunt alii Authores, talem conjecturam nullatenùs admittentes, quos, nominatim reprobato *Riccio* ubi supra, sequitur *Tambur. in Methodo celebrandi Missas lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 24. *vers. Multò minus placet Aloysius Riccius*: Idque resolvere nimis difficile visum fuit *Fagundez ad Præcept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 9. *sub num.* 2.

11 Itaut in Hispaniarum Regnis determinatum sit, ut quando Testator extra suam Parochiã sepultus est, dimidia pars Missarũ celebretur in Ecclesia, ubi est sepultura, alia verò dicatur in ejus Parochia, quod uti factum magno cum judicio refert, & approbat *Ricc. d. resol.* 97. *num.* 4. *part.* 4. Et uti demandatum à Constitutione Synodali Ulissiponensi refert paritèr, & sequitur *Pheb. decis. Lusit.* 100. *num.* 1. Et respondendo *d. decis.* 494. *coram Cavaler.* atque observando, illam procedere respectu anniversariorum, quæ quantum fieri potest celebrari debent in illa Ecclesia, in qua sepultus est pius Benefactor, non autem circa Missas manuales, advertit *Capon. discept.* 196. *num.* 20. & *Rota coram Coccin. decis.* 1118. *num.* 11. ubi *quod non loca sed merita sanctificant*.

12 Præ-

12 Præmitto quartò, quòd præsens quæstio versatur in terminis, in quibus Rectores, vel Administratores Ecclesiarum ex propria voluntate, & absque ullo facto Superiorum, indefinitè prætendunt, Missas manuales celebrari facere in Ecclesiis, sibi benevisis, non autem quandò concurrit justa causa, ab Ecclesiastico Superiore recognita, & approbata, puta, quia Ecclesia designata proximam minatur ruinam, vel de facto diruta sit, quo attento Episcopus provisionaliter demandet, ut Missæ alibi celebrentur, quod omni Jure permissum est, ut videre est apud *Pat. Jordan. tom. 1. var. resol. lib. 4. tit. 1. de Sacrific. Missæ num. 543.* ubi quod ita pluriès dispensavit, *Bonacin. Oper. moral. tom. 1. tit. de Sacram. Eucharist. disput. 4. quæst. ultim. punct. 7. §. 4. n. 2. Ricc. in Praxi part. 4. resolut. 104. per tot. & Novar. in Summar. Bullar. comment. 79. num. 3. & Rota coram Coccin decis. 1522. n. 5.*

13 Dixi *Episcopus, & ex justa causa*, quia Generalibus Religionum id permissum indefinitè nullatenus est; Non enim ex eorum ordinariâ authoritate possunt celebrari facere in Conventu, vel Monasterio unius Civitatis Missas, alteri Conventui, vel Monasterio ejusdem, vel alterius Civitatis relictas, ut latè probat *Pignatell. consult. 276. per tot. tom. 1. juxta Romanam impressionem*, asserens, ita *decisum ab hac Sacra Congreg. die 17. Augusti 1647. in una Regularium, quæ est in Libr. 18. Decretor. fol. 393.*

14 Ad quam difficultatem evitandam, atque ad se eximendum à probatione dictæ justæ causæ, illiusque duratione, Religiosi Monasterii S. Gregorii de Urbe à f. m. Urbano VIII. die 9. Decembris 1626. particulare obtinuerunt Indultum, & specialem gratiã, ut celebrari facere possent in Urbe, & in aliis Ecclesiis, tam per Sacerdotes Sæculares, quàm Regulares, illas Missas, quæ in eadem Ecclesiâ S. Gregorii celebrari non poterant, neque possunt, ut videre est apud *Pignatell. cõsult. 74. n. 10. tom. 7.* ubi per extensum impressit idem Indultum, seu gratiam: Eandemq; gratiam, seu Indultum die 26. Aprilis 1696. obtinuerunt pariter à f. m. Innocentii XII. Canonici S. Mariæ ad Martyres, seu Rotundæ, registratum in Secretaria Tribunalis Eminentissimi Urbis Vicarii *in Libr. Decret. ab anno 1694. ad annum 1696. fol. 345.*

15 Præmitto demum, quòd regularitèr duæ solent esse causæ, seu motiva relinquendi pia legata pro Missarum celebratione, suffragium nimirùm animarum, & devotio erga Sanctum, seu affectus erga Ecclesiam, itaùt in circumstantiis nostrorum dubiorum, cessante hac secundâ causâ, seu motivo, juxta præcisos terminos primi dubii, unicum remaneat motivum, seu causa suffragii animæ illius pii disponentis, qui Missarum celebrationem demandavit, ut notant *Amostaz. de Caus. piis lib. 2. cap. 5. de Missa sub*

num.

num.14. & 19. Tamburin.in method.celebrand. Miss.lib.3.cap.1.§.3. num.21. Pignatell.consul.80.num.3.tom.9. Avers. de Sacrif. Miss.qu. 11.sect.18.vers.Si tandem fol.310. ibi: *Et ita quidem præsumendum erit de mēte Testatoris quandocumque res sit dubia, & non positivè oppositum constet, Pasqualig. de Sagrific.nov.leg.qu.108.num.9.* ibi: *Si fundator obliget ad celebrandum absque ulla mentione loci, vel temporis, certum esse, quòd intendat applicationem sacrificii, quia ex hoc manifestum fit, quòd ejus intentio fertur in obligationem sacrificii, atque adeò intendit sibi obligare ministerium Sacerdotis in ordine ad obtinendam oblationem sacrificii Fraxinell.de Obligat. Sacerdot. sect. 4.conclus.4.§.11.* ibi: *Nam credibile est omnino, Fundatorem potiùs voluisse Missarum fructum sibi, & suis defunctis applicari, quàm loci particularis venerationem,*& *Ro.decis.335.à n.27 part.19.recent.*

16 Ad differentiam alterius casus, quando legatum non fit pro simpli celebratione Missarum, sed deteriminatè pro tali Ecclesia, quia tunc censetur relictum, tam contemplatione Ecclesiæ, quàm favore animæ Testatoris benè *Peuting. decis. 201. num. 1.*

17 Dixi *in circumstantis nostrorum dubiorum*, hoc est, quandò Missarum manualium onus absque Ecclesiarum disignatione injunctum est, quia in istis terminis prætendi non potest, quòd pius Benefactor motus fuerit, vel à devotione erga unam potiùs, quàm aliam Ecclesiam, vel à commoditate volentium audire Missas, puta respectu illarum, quæ celebrantur in Ecclesiis Monialium, in Ecclesis ruralibus, in Oratoriis Confraternitatum, & similibus considerationibus, latè expensis *ab Alphonsò de Leone part. 3. de Jubilco quæst.20 num.27. Amostaz.de Caus. piis lib.2.cap.3.num.52. Dicastill.de Sacrament. tract.5. disput.4. dub.21. num.385. Card. de Lugo eodem tractat. tit. de Eucharist. disp.21. sect.2. num.36. Pellizzar.in Manual. Regular. tract.5. cap.9. sect.4. num.98. & 111. & Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.908. num.12. & quæst. 1142. num.1. & seqq. & quæst. 1146. num.6.* Et ratio evidens ea est, quia si supponimus, non fuisse designatam Ecclesiam, quæ est subjectum, multo minùs dici potest, quod habita fuerint in consideratione accidentia, qualia sunt cultus particularis, propria devotio, Populi commoditas, ut de se notum est, & faciunt animadversa per *Amostaz. de Caus. piis lib.2. cap.5. de Missis num. 14. in medio, & num.19. in principio.*

18 Et ex his resultare videtur negativa resolutio primæ partis primi dubii: Quia suffragium animæ pii Benefactoris omninò, & eodem prorsùs modo habetur ex Missâ, celebratâ in uno Altari, quod nō si privilegiatū, ac habeatur, si illa celebretur in alio: Missarū siqui-
dem

dem valor, quoad opus operatum, intentum à piis Benefactoribus, æqualis est, juxta omnium Theologorum sententiam, neque crescit, vel minuitur ex eo, quòd, præciso particulari privilegio, celebretur in uno, vel in alio Altare, seu ab uno, vel alio Sacerdote, juxtà Textum *in Can. Utrùm de Consecrat. distinct. 2.* & animadversa *per Ricc. in Praxi part. 1. resolut. 109. num. 2. & Rot. in decis. 825. num. 16. coram Merlin. & decis. 394. num. 14. part. 9. & decis. 335. num. 28. & seq. part. 19. recent.*

19 Indeque uno ore asserunt Doctores, quòd in illis terminis, in quibus obligatio celebrandi, non præcisè, & personaliter, sed generaliter, & indefinitè demandata est Beneficiato, seù Capellano, semper illa capienda sit interpretatio, ut Missa celebrari valeat a quocumque Sacerdote, ab eis substitutio, ex quo non dicitur demandari factum aliquod variabile, & non determinatum, minusque dicitur injungi aliquid ingenii, naturæ, doctrinæ, & institutionis, & demum ad dictum effectum electa nullatenùs dicitur industria personæ, ut solidè discurrunt *Gratian. decis. Marchiæ 153. à num. 13.* ubi latè *Scopp. in Addit. à num. 1. usque a d num. 15. Beja in Casib. Conscient. part. 1. cas. 23. vers. Respondetur*, ibi: *Nec desideratur industria personæ, sed quotidiana Missa, Barbos. de Potest. Episcop. part. 1. allegat. 24. num. 29. in fine, Pignatell. consult. 2. num 15. tom. 7. Rot. decis. 13. à num. 11. coram Bichio, & decis. 175. n. 3. coram Priolo, & decis. 825. num. 4. & seqq. & n. 15. & 16. coram Merlin. & decis. 335. n. 4. & seqq. & per tot. part. 19. rec.*

20 Quæ omnia in casu fortiori admisit Sac. Congregatio Episcoporum *In una Nepesina 16. Novembris* 1708. *& 5. Septembris currentis anni* 1710. *ad primum dubium*.

21 Dixi *in casu fortiori*, quia in dicto dubio obligavit Beneficiatum ad personaliter inserviendum omnibus Divinis Officiis, & functionibus, peragendis in Oppido Mazzani, ubi situm erat beneficium; In tertio verò dubio, in eo fuit sensu, ut idem Beneficiatus continuò residere teneretur in eodem Loco Mazzani, & tamen in primo eum liberavit ab onere celebrandi per seipsum, non alio motivo, nisi quia tale onus celebrandi per seipsum præcisè, & literalitèr eidem Cappellano, seu Beneficiato in junctum non fuerat; Sicuti neque etiam eidem imposita fuerat obligatio assistendi Paroco, vel Sacramenta ministrandi; Sed simpliciter *di assistere in Mazzano, & a tutti li Divini Officii, e funzioni, che si faranno in qualsivoglia tempo nella Chiesa Parochiale.* Quæ continua residentia nimis dura visa fuit *Ventrigl. in Prax. annot. 19. §. 2. num. 23. ibi Nimis dura videtur residentia totius anni, fragilitas enim humana exigit sibi indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis, & animi.* 22 Ex

22 Ex quibus, & aliis rationibus, à præfatis, & infrascriptis Authoribus adductis, & frustrà hic transcribendis, ità in præcicisis terminis nostri dubii fieri posse notant *Ricc. in Praxi part.4. resolut.96. per tot. & signanter num.1.* ibi: *Si Testator mandet celebrari Missas in tali Altari, seu Capella, ad quam constat habere devotionem, non erit licita loci mutatio &c. Licèt aliàs, cessante hujusmodi conjectura, posset, tam in uno loco, quàm in alio missa celebrari, cùm utroque modo satisfiat animæ Testatoris, Gratian. discept.63. à n.4. & discept.133. num.8. & 9.* ibi: *Secunda ratio est, quia non est verisimile, quòd Testator se voluerit arctare ad missam unius potiùs, quàm alterius, cùm missa sit sacrificium, quod potest per alium Deo offerri &c. Proùt dicimus de loco, seu Ecclesia, cùm valeat argumentum de hoc ad personas, quia idem est si pro illius anima in una, vel altera Ecclesia celebratur, Marchin. de Sac. Ordin. tract.3. part.2.cap.24. num.2.* ibi: *Temperanda tamen primo est hæc doctri na, ut habeat locum tantummodo in eo casu, in quo constet, Testatorem ex peculiari devotione tale Altare elegisse, vel quia in Testamento illud expresserit, vel quia illud vivens frequenter colere soleret, vel quia elegerat Altare privilegiatum; At cessantibus iis causis, liceret Sacerdoti alibi celebrare, cùm in quolibet loco sacrificium sit æqualis valoris, Amostaz. de Causis piis lib.2. cap.5. de Missis sub num.14.* ibi: *Nam aut constat, similibus Missis tantùm Testatorem intendisse suffragium Animæ, vel applicationem, & in hoc casu mortale peccatum non est alibi celebrare, quia quoad animæ suffragium nihil interest, an hìc, aut alibi celebretur Tamburinus &c. qui dicit, nec adhuc veniale quidem esse, quod in dubio admittendum videtur, quotiès legatum Missarum manualium pro unica vice relinquitur; Nam, ut plurimum, hæ Missæ tantùm ad suffragium animæ reliquuntur, Gavant. ad Rubric. missal. part.3. tit.12. num 7.* ibi: *Ratione loci tenetur Sacerdos sacrum facere in certo Altari, non impeditus legitimè, si Testator, aut alius, locum celebrandæ Missæ præscripserit, Pac. Jordan. tom.1. var. resolut. lib.4. tit.1. de Sacrificio Missæ nu.540.* ibi: *Quod si expressum minimè fuisset certum, ac determinatum Altare priuilegiatum, licebit absque dubio super quocumque illorum id præstare &c. & sine dubio petens Missam talem, intendit satisfationem, & liberationem animæ à Purgatorio, non autem Sacerdotis deuotionem, uel Altaris, aut Ecclesiæ honorem, Tamburin. in Method. celebrandi Miss. lib.3. cap.2. §.1. num.1.* ibi: *Regula secunda, quandò uerò principalis finis fuit uelle Missæ applicationem, non est peccatum mortale alibi celebrare, imò ne ueniale quidem, quandò constat, non curari, nisi de applicatione, Pignatell. consult.80. num.4. tom.9.* ibi: *Nam quoad primam causam, nempè suffragium, certum est, quòd omni-*

omninò adimpletur, cùm illud non magis ex Missa, celebrata in uno Altari, quod non sit priuilegatum, ut in hoc casu, quàm in alio, proueniat &c. Passerin. de Stat. Homin. tom.2. quæst.187. num 1185. ibi: *In imponendo onere Missarum Fundator principalitèr respicit remedium animæ suæ, quod non magis ex una, quàm ex alia Ecclesia provenit, Antonell. de Loc. Legal. lib.1. cap.3. num.87.* ibi: *Missæ in alia Ecclesia celebrari possunt, quando ex conjecturis constat, Testatorem non habuisse devotionem in Ecclesia designata, Card. de Luc. ad Cõc.disc.17.n.4.* ubi sequitur *Rotã inTudertina celebrationis missar. 23.Maij 1653. cora Meltio.* quæ non reperitur impressa, *& Rot.cor. Seraphin. decis.1149. sub num.11.* ibi: *Quòd comprobatur ex eo, quòd in onere principaliter habitus fuit respectus ad remedium animæ suæ, quod remedium non magis ex una, quàm ex alia Ecclesia provenit &c. & Missa eundem effectum, ubilibet celebretur, operatur.*

24 Et applicari videtur resolutio Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quam refert, & sequitur *Gavant.in Manuali. ver. Missa num.14.* ibi: *Pro missis, ex legato relictis, non assignato loco, debet Capellanus eligere locum, ut innotescat, an satisfecerit;* Observando, quod dicta Sacra Congregatio non obligavit eundem Capellanum ad celebrandum potiùs in una, quam in alia Ecclesia, ex conjecturis designanda, sed unicè volvit providere exequutioni voluntatis pii Benefactoris.

25 Quibus aliam non spernendam congruentiam addit *Pignatell. d. consult. 80.num.5.tom. 9.* Quòd scilicet, si pii disponentes circa nostrum dubium fuissent interrogati, ità verisimiliter respondissent, & concordant *Pasqualig. de Sacrifi. nov. leg. quæst.1139. num.6.in fine & inseq. & Phæb.decis.Lusitan.47.num.6.* Illa autem interpretatio semper sumenda est, secundùm quam verisimile est, quòd iidem pii Benefactores respondissent, si cogitassent, vel si interrogati fuissent, juxta allegatos à *Pignatell.ubi suprà*, &, præter ibidem adductos, egregiè *Gratian. discept.133.num.8. & Scopp. ad eundem Gratian. decis. Marchiæ. 155. num.13*

26 Ego autem duas alias addo rationes, quæ dictam negativam resolutionem primæ partis primi dubii comprobare videntur; Primam, deductam à paritate obligationis, injunctæ Capellano, ut quotidiè, vel determinatis diebus, missas celebret pro suffragio animæ pii Benefactoris: Nisi enim in fundatione Capellaniæ expresse dicatur, quòd dictas missas celebret per se ipsum, vel cum aliis personalissimis dictionibus, certum est, quòd illas potest per alium celebrare, ut præter supra allegatos, habemus dictas *magistrales decis.825. coram Merlin. & 335. part. 19. rec.* uno ore sequutas à Doctoribus, & quotidiè amplexas à magnis Tri-

bunalibus, cum quibus novissimè processit *Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, Ponente* Eminentiss. *& Reverendiss. Domino meo CardinaliS.Clemētis in una NepesinaCapellaniæ 16.Novēbris 1708.ad primum dubium*(confirmata 5.*Septemb.* 1710.)Quod autem valeat argumentum de persona ad locum, generalitèr probat *Barbosa loc.* 83, *num.*2. Et in nostris individualibus terminis punctualiter non minus quàm egregiè advertit *Gratian. discept.* 73. *num.* 10, *& d. disceptat.* 133.*num.* 8.

27 Et propterea eodem modo discurrendo in nostris terminis, eo ipso,quòd onus missarum manualiū non est demandatum in certâ Ecclesia,velAltari,sicuti quando injunctum individualiter,& personaliter non fuit certis personis, semper adimpleri potest per quemcumque Sacerdotem, ita adimpleri poterit in qualibet Ecclesia. Non enim assignari potest valida diversitatis ratio, quare Capellanus quotidiè,vel certis diebus,ut supponimus obligatus ad celebrandum,suam obligationem per alium possit adimplere,& id permitti non debeat respectu Ecclesiæ,seu loci,præcisâ,ut supponimus, designatione ejusdem Ecclesiæ,& non concurrente particulari privilegio respectu Altaris.

28 Additâ animadversione, quòd dum in onere celebrationis Missarum non fuit habita ratio certæ Ecclesiæ,vel determinatiAltaris, illud dicitur fuisse injunctum contemplatione personæ,non autem loci,ut bene observat *Pasqualig.de Sacrific. nov.leg.q.*1143. *nu.*5.& concordant,*Passer in.de Stat. homin.tom.2.qu.* 187.*n.*1188. *& Capon discept.* 196. *num.*6. & proinde erit in facultate dictæ personæ illud adimplere, vel adimpleri facere, in quacumque Ecclesiâ, sibi benevisâ, *ex authoritatibus supra adductis*.

29 Secunda ratio in eo consistit, quòd per celebrationem missæ in quacumque Ecclesia, pio Benefactori solvitur totum id, quod ei debetur *Solvens enim in alio loco* (sunt verba *Pasqualig. de Sacrific. nov.leg. qu.* 1148. *num.* 9.) *solvit totum id, quod debet, nisi ex eo, quòd non solvat in loco præscripto, obveniat aliquod damnum creditori, quod tunc esset resarciendum*, quod in nostris terminis non verificatur. Manifestum siquidem est, quòd nullum damnū, nullumquæ præjudiciū provenit pio Benefactori ex eo, quòd missæ in unâ potiùs quàm in aliâ Ecclesiâ,vel in uno,seu alio Altari celebrentur, præciso particulari privilegio,quod ad nostrum effectum benèexplicat *Amostaz. de Caus.piis lib.*2. *cap.*5. *num.*36.

30 Neque turbat reflexio, quod ut plurimum missarum celebratio demandetur in Ecclesiis Regularium; Objecto enim punctualiter occurrit *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. qu.* 1143.*num.*3. *&* 4.solidè advertens, id fieri, ex quo eædem Ecclesiæ dicuntur magis

aptæ

aptæ ad exequenda onera, sibi injuncta, nunquam autem expressæ dicuntur taxativè, minusque à tali qualitate Ecclesiarum Regularium onus celebrationis missarum dicitur potiùs restrictivè impositum ad unam, quàm ad aliam Ecclesiam; Subdendo ulteriùs, quòd in omnem casum eadem Ecclesia non diceretur electa ratione sui, sed ratione pertinentiæ ad Regulares, itaut favore personarum fuerit adjectus locus, seu Ecclesia, juxta id, quod legitur 2. *Maccabeor. cap.5. Versic. 19. Non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit*, quod refert *in qu.*1145 *num.3. Panimoll. decis.* 98. *adnot.* 2.*num.*14. benè *Capon. discept.*196. *num.*7, & meliùs *Rot. coram Seraphin. decis.* 1149.*num.*16. ibi: *Locus &c. non censetur appositus gratia taxationis, sed fuit expressus gratia facilioris executionis, & quando locus non exprimitur cum mysterio, etiamsi ponatur in eadem oratione, non restringit dispositionem.*

31 Imo ex hac reflexione Ecclesiæ Regularium alia insurgit conjectura, exclusiva taxationis, & determinationis certæ Ecclesiæ, quod pius Benefactor, ultra sacrificii fructum, voluerit etiā cōsulere indigentiæ eorundem Regularium, ut plurimū mēdicātiū, exercendo eodem tempore actū pietatis erga eosdem Regulares, ut in specie observāt adducti per *Passerin. de Stat. homin. tom.2. qu.*187. *nn.* 1189. *in fine, & Capon. discept.* 196. *num.* 11.

32 Minùs adversantur decreta generalia hujus Sacræ Congregationis, emanata die 1. Junii 1625. cum speciali, & præcisa approbatione f. m. Urbani VIII. in quibus præcipitur, ibi: *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus, anteà impositis, ità satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquìn omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis*, ut videre est *post Constit.* 45. *ejusdem san. mem. Urbani VIII.* & refert *Fagnan. in cap. Fraternitatem num. 66. de Sepult.* ubi, quòd emanarunt eo tempore; quo ipse erat Secretarius hujus Sacræ Congregationis, Quæ decreta confirmata fuerunt *d. f. m. Innocentii XII.* die 23. *Decembris* 1697. ut videre est apud *Mattheucc. in Offic. Cur. Ecclesiast. tit. Officialis quoad celebrationem missarum* §.27. ibi *Cùmque hujusmodi absurda ex eo plèrumque proveniant, quod onera missarum, supra vires suscipiantur, caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores &c. ne onera, seu missas, tùm perpetuas, tùm temporales, tùm etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant.* Et novissimè confirmata pariter fuerunt *à Sanctissimo D. N. die* 1. *Decembris* 1704.

33 Omisso enim, quod eadem decreta declarata ab hac Sac. Congregatione, approbante eodem f. m. Urbano VIII. fuerunt, ut non

procedant in rigore literæ, & absolute ibi *Ad* 11. *respondit non prohibere absolutè, ac propterea; etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere*, quod repetitum fuit in dicta confirmatione *f. m. Innocentii XII.* ibi *Quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus; satisfacere non posse &c.*

34 Circa quod modicum tempus determinandum Doctores nullatenùs sunt concordes; Aliqui enim, rem confusè, & generaliter pertractantes, ut facit *Peyrin. de Privil. Regular. tom. 3. ad Const. 9. Urbani VIII. fol. 381.* illud liberalitate maximâ extendunt ad tres annos. Alii illud restringunt ad duos menses, in specie reprobantes *eundem Peyrinum*, ut sunt *Diana coordinat. tom. 2. tit. 1. de Celebratione miss. resolut. 48. num. 5. Garz. in Summ. quæst. moral tract. 3. difficult. 10. sub num. 8. Pellizar. in Manual. Regular. tom. 1. tract. 5. cap. 9. sect. 3. num. 72. Lezan. tom. 4. Oper moral. verb. Missa num. 39. P. Maur. in Oper. Theolog. tom. 3. lib. 12. qu. 218. sub num. 15.* Alii ad octo dies, ut est *Thesaur. in Prax. par. 2. verb. Missarum onera in fine*; Alii demùm, & quidem meliùs, atque solidiùs, distinguentes motiva generalia demandandi missarum celebrationem, à particulari urgentia, ac individuali necessitate, putà ob infirmi salutem, amici excarcerationem, liberationem ab aliquo alio imminenti periculo, *ex gr.* proximi partus mulieris, vel similibus particularibus indigentiis, asserunt, spectandam in hac parte esse rationabilem voluntatem offerentis eleemosynam, ut sunt *Dicastill. de Sacramenc. tom. 1. tractat. 5. disput. 4. num. 399. Tamburin. in Method. celebrand. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 9. num. 4. & 7. Gobat. in Theolog. experiment. tract. 3. de Sacrifi. Miss. tit. Quo stipendio sacrificandum, seu cas. 17. sub num. 597. Pellizzar. in Manual. Regular. tract. 5. cap. 9. sect. 3. num. 72.* ibi *Nisi missa petatur pro aliqua instanti necessitate, judicio prudentis non patiente moram, & Averf. de Sacrifi. miss. qu. 11. sect. 18. vers. Quinto fol. mihi 308.* ibi *Sed advertendum est, pro urgentia rerum posse contigere, ut etiam unius deii dilatio sit nimia, ut si quis hoc manè petat missam pro lite, ea die decidenda, pro infirmo ægrotante, vel periclitante, & similibus, itaut præter gravem culpam dilationis, tenetur Sacerdos restituere stipendium, transacta jam indigentia.*

35 Strictè, & breviter objecto respondentes, dicimus, eadem Decreta nullatenùs obstare, quia supponunt, onus fuisse injunctum certis, & determinatis Ecclesiis, seu Altaribus, & proindè præsupponunt moralem impossibilitatem, seu impotentiam adimplendi nova onera, ex eo resultantem, quòd Ecclesiarum Mini-

Ministri, & Rectores velint in eorum Ecclesiis, in quibus antiqua onera satisfacta adhuc non sunt, nova respectivè adimplere, idque post longum tempus, ut clarum est ex contextu, & integrâ lecturâ dictorum generalium decretorum, & signanter ex illis anni 1625. §. 1. ibi *Cùm sæpè contigat in quibusdam Ecclesiis* (notentur verba hæc, *in quibusdam Ecclesiis*) *tàm magnum missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis, impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscripti nequeat satisfieri*. Quæ impotentia in terminis nostri dubii nullatenùs verificatur, quia supponimus, quod Ecclesiæ designatæ nullatenus sint, quodque Rectores, & Ministri illarum Ecclesiarum, in quibus relictæ fuerunt eleemosynæ, effectivè velint novis oneribus intra breve tempus satisfacere, eademque satisfactio, uti facta ab aliis Sacerdotibus, in eorum locum subrogatis, perinde haberi debet, ac si ab illis facta esset, juxta notam regulam, quòd qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, de qua, omissis generalibus, in nostris terminis benè *Piasec. in Praxi par. 2. cap. 3. num. 32. Pellizzar in Manual. Regular. tract 5. cap. 9. sect. 4. num. 116. Bonacin. Oper. moral. tom. 1. tit. de Sacramento Eucharistiæ disp. 4. quæst. ultim. punct. 7. §. 1 n. 1. Gonzal. ad regulam. 8. Cancellar. glos. 5. nu. 77. & Pac. Jord. var. resolut. to. 1. lib. 4. tit. 1. de Sacrificio missæ nu. 563.*

36 Comprobantur hæc ex eisdem decretis generalibus, in quibus dicitur *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat*, & clariùs *in dubio* 10. ibi *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna, major solita, pro celebratione missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt, an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam. Ad 10. debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

37 Si enim permissum non esset manuales missas, cum certâ eleemosynâ susceptas, alteri simpliciter celebrandas committere, inanes, frustratoriæ, & de subjecto non supponente dicerentur hujusmodi feriæ, replicatæ, & celebres resolutiones hujus Sacræ Congregationis, canonizatæ etiam *à san. m. Alexandro VII. in propositione 9.* quam damnavit *die 24. Septembris 1665.* & uniformi calamo sequutæ ab omnibus Doctoribus, de materia tractantibus, & per extensum impressis *à Ricc. in Praxi par. 4. resolut. 105. post num. 4. Barthol. à S. Fausto in tract. de Suffrag.*

post

post quæst. 91. Barbos. ad Concilium sess. 25. de Reformat. cap. 4. à num. 14. & de Potest. Episcop. part. 2. allegat. 29. à num. 16. & tom. 3. tit. Constitutiones Pontificiæ, & decreta fol. mihi 52. Nicol. lib. 3. Instit. Canon. post tit. 41. de Celebrat. Missar. Brugnol. in Specul. Clericor. tit. de Sacrif. Miss. post cap. 13. Cardin. de Lug. de Sacram. Eucharist. disp. 21. sect. 1. à num. 42. Novar. in Sum. Bullar. comment. 81. à num. 1. Pac. Jordan. tom. 1. variar. resolut. lib. 4. tit. 1. à num. 515. Gobat. in Theolog. experiment. tract. 3. cas. 16. à n. 518. Tamburin. in Method. celebrand. missas lib. 3. cap. 1. à num. 7. Pignatell. consult. 58. tom. 1. & Mattheuc. in Official Cur. Ecclesiast. verb. Officialis quoad celebrationem missarum à num. 10.

38 Ultra quòd vix potest clarior adduci probatio ad demonstrandum, hoc esse permissum à dictis decretis generalibus, quàm verba illa *Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse, ut in responsione ad X.* Eo igitur ipso, quòd integra eleemosyna traditur Sacerdoti, celebranti, res videtur plana ad terminos dictorum decretorum generalium, ut de se patet, & faciunt animadversa per *Gonet. in Clyp. Theolog. Thomist. tom. 5. disp. 11. de Sacrif. Miss. art. 6. num. 112.*

39 Absque ulla difficultate, ex quo in tantùm in eisdem decretis generalibus, confirmatis à dd. tribus Summis Pontificibus Urbano VIII. Innocentio XII. & Sanctiss. D. N. nec non in successivis resolutionibus hujus Sacræ Congregationis, processum fuit, & meritò proceditur cum illo rigore, ut nova manualium missarum onera nullatenùs suscipiantur, ab iis, qui antiquis non satisfeceruut *Ne fideles frustrentur*, ut dicitur in illis anni 1625. Atque *Defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia*, juxta præcisa verba illarum anni 1697. & generalitèr observat *Marchant. in Tribunal. Sacrament. tom. 2. tract. 2. lib. 4. qu. 2 resolt. 5. vers. Colligo* ibi *Nè piæ Defunctorum, vel Fundatorum voluntates, & legata defraudentur*; Quæ inconvenientia nullatenùs verificari possunt, admissa facultate subrogandi quascunque Ecclesias, loco illarum, in quibus fuerunt relictæ eleemosynæ pro missis manualibus, quia hoc modo, nec fideles frustrantur eorum pio desiderio, nec defunctorum animabus differtur integra, & prompta suffragiorum præstatio: Et quod magis est, atquè summoperè considerandum videtur, hac via tolluntur etiam prætextus illi recurrendi ad Congregationem Rev. Fabricæ ad extorquendas compositiones sub insubsistentibus motivis pro missarum oneribus, nullatenùs adimpletis, ad quæ inconvenentia evitanda principaliter, & primariò emanarunt dictæ resolutiones hujus Sacræ Congregationis

anni

anni 1697. ut videre est in *§. Cumque hujusmodi absurda*:

40 Observantes hic, quòd quamvis ex laudabili solito, & incõcussa praxi dictæ Sacræ Congregationis Rev. Fabricæ apponi soleat in cõpositionibus clausula *Dummodo maliriosè non omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nullo modo suffragetur*, difficultas in eo residet, quod circa dictum animum haberi non possunt claræ, & concludentes probationes, sed standum est assertioni supplicantium, ut cuilibet notum est.

41 In eisdem quoque terminis designationis certæ Ecclesiæ, & specificationis Altaris loquuntur, & interpretari debent resolutiones hujus Sac. Congregationis, in quibus demandatum fuit, desistendum esse à receptione aliarum missarum, donec satisfiat antiquæ obligationi; Procedunt enim cum eodem supposito, quòd missarum celebratio injuncta sit in certa Ecclesia, vel determinato Altari, ut signanter reconosci potest ex *Nullius* 15. *Maii* 1631. *lib.* 14. *Decret. fol.* 404. *& ex Materanen.* 23. *Novembris ejusdem anni* 1631. *lib.* 14. *Decretor. fol.* 536., quas sequutus fui *in meis Instit. Crimin. lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. *num.* 109. & addo aliam in una *Regularium* 17. *Augusti* 1647. *lib.* 18. *Decretor. fol.* 393.

42 Nec replicetur, easdem declarationes, & decreta intelligenda esse de eleemosynis, datis pro missis manualibus, quæ per alios Sacerdotes celebrari debent in illis Ecclesiis, in quibus relictæ fuerunt, non autem pro illis celebrandis in aliis diversis, & distinctis Ecclesiis.

43 Quia, hoc admisso, in necessariam sequitur consequentiã, easdem declarationes, & decreta non comprehendere nostra dubia; ex quo in illis supponitur, quòd onus missarum injunctum sit absque designatione Ecclesiarum, in quibus celebrari debent.

44 Quod comprobat subsecuta observantia, dum mihi constantèr supponitur, quòd ferè in omnibus Ecclesiis Urbis practicata in præteritum fuerit, ac de præsenti practicetur subrogatio aliarum Ecclesiarum, sive in eadem Urbe, sive extra illam, pro adimplemento illarum missarum manualium, quæ relictæ fuerunt absque designatione Ecclesiarum, vel specificatione Altarium. Observãtia autẽ primum occupat locũ in interpretãdis Apostolicis Constitutionibus, & Decretis, ut in specie probat *R.P. D. Fatinell. resp.* 43. *num.* 12. *& resp.* 112. *num.* 3. & firmavit *Rota in Bononien. Sportularum* 22. *Junii* 1693. §. *Quæ clariora coram Reverendissimo Molines, & in Romana Clericatus Beneficiatus S. Petri* 3. *Decembris* 1696. §. *Quòd talis coram R. P. D. Priolo*. Talemque observantiam in præcisis terminis adimplementi onerum Missarum magnificit *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 996. *n.* 4. & novissimè admisit *hæc*

Sacra Congregatio in magistrali Recineten. Celebrationis Missarum 7. Julii 1708. lib. 58. Decretor fol. 443. à tergo, & in Romana 18. Augusti ejusdem anni lib. 58. Decretor. fol. 502.

45 Comprobatur ulteriùs eadem intelligentia ex resolutione dubii septimi, in quo dictum fuit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, & Loca pia, seu illorum Administratores ex missarum eleemosynis ullam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione: Quod manibus palpare facit, Sacram Congregationē fuisse locutam, cum supposito, quod missæ celebrari debeant in illa Ecclesia, in qua missarum eleemosyna relicta fuit, qui non sunt termini nostri dubii.

46 Eo autem libentiùs, & faciliùs in hanc inclino benigniorem opinionem, quia, ut dixi, & ad opportunitatem repeto, per illam facilis sternitur via promptæ executioni demandandi pias disponentium voluntates, & ex aliâ parte nimis clarè clauditur altera exaggerandi impossibilitatem adimplendi missarum onera, dùm in substantia mens, & intentio hujus Sacræ Congregationis in dd. replicatis Decretis generalibus, à tribus Summis Pontificibus, ut supra vidimus, specificè confirmatis, non alia fuit, quàm tollere omnes prætextus, & moras, impedientes promptam executionem piarum dispositionum, ut videre est in illis anni 1625. §. 1. incipien. *Cùm sæpè contingat* ibi *Indeque fiat, ut depereant piæ Testantium voluntates, obstricta Benefactorum fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles gravi scandalo affecti plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur*, Et in aliis anni 1697. §. 27. incipien. *Cùmque hujusmodi absurda*, & longè clariùs in antecedenti §. 24. ibi *Cupiens &c. pro viribus &c. opportunè providere, ut, sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ disponentium, seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia*

47 Ubi enim agitur (sunt verba *Rotæ in decis. 113. n. 3. & 4. coram Ottobon.*) *de suffragio animæ Testatoris, illa præferri, ac versimilior censeri debet ejus voluntatis interpretatio, qua pleniùs providetur illius saluti*. Atque applicari videntur ea, quæ in proximis terminis notant *Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 3. quest. 2. cap. 24. sub num. 1.* his verbis, *Doctores uno ore gregatim asserunt, melius esse alibi, qua nullibi celebrare; atque sic interpretandam Testatoris volontatem Pellizar. in Manual. Regular. tract. 5. cap. 9. sect. 4. num. 127.* ibi *Rationabiliter censetur voluisse obligare ad id, quod sibi utilius est, Francisc. de Lug. de Sacram. lib. 5. de Miss. cap. 11. qu. 5. num. 50.* ibi *Testator presumitur voluisse quod utilius sibi foret, &*

Card.

*Card. Joan. de Lug. de Euchar. disp.*21.*sect.*2. *num.* 42. ibi *Testator potiùs præsumitur voluisse obligare ad id, quod sibi erat utilius*.

47 Positâ ex his negativa resolutione primæ partis primi dubii, nulla remanet necessitas immorandi in discussione secundi.

48 Cujus nihilominus affirmativa resolutio in casu respons: negativæ quoad primam partẽ primi dubii, inferri videtur ex animadversis *supra n.* 8. quia deficientia sacerdotum reputari solet justa causa indulgendi, ut missæ celebrari possint in Ecclesia, diversa ab illa, in qua relictæ fuerunt, juxta animadversa *per Abbat cons.*49. *in fine lib.*2. & firmata per *Rot.in decis.*1486. *n.* 9. *& seqq. & signant.n.*11.*corã Cocin.*ibi *sed quando non possunt celebrari propte. pecuniam Sacerdotum, in quacumque Ecclesia possunt celebrari r, quia loca non sanctificant, sed merita*.

49 Limitando tamen talem indulgentiam, vel ad determinatũ tempus, ut practicavit *hæc Sag.Congreg. in Romana* 1.*Septembris* 1708. pro PP. S. Laurentii in Lucina his verbis: *Ad triennium arbitrio Eminentiss. Protectoris pro missis, non affixis certis Altaribus*; Vel illã indefinitè concedẽdo, usque, quo scilicet duret talis penuria Sacerdotum; Semper tamen cum illa conditione, ut interim ab illa Ecclesia, in qua celebrari non possunt, ut supra missæ ob Sacerdotum penuriam, non recipiantur alia onera perpetua, quam appofuit hæc Sac.Cong.*in d.Roman.* 1.*Dec.*1708.

Et hæc pro meo sensu, judicio saniori semper salvo.

Dominicus Ursaya Advocatus.

---

50 Quia verò circa eadem dubia de mandato ejusdem Sac. Congregat. Concilii scripsit etiam Illustriss. D.m. Prosper de Lambertinis, Sacræ Consistorialis Aulæ Advocatus, Vir literis, nobilitate, ingenuitate, & probitate insignis; Ideo ad publicam utilitatem ejus pariter discursum hic imprimendum curavi, estq; talis.

51 Difficile est propositis dubiis respondere, & aliquid certi firmare, cùm concepta sint in abstracto, nec ulla referantur verba piorum disponentium, quarum ope similes controversiæ, ut plurimum resolvuntur, veluti ad rem, & in non dissimili quæstione perpendit *Rota decis.*1149. *ante num.* 1. *coram Cardinali Seraphin.*

52 Mandatis nihilominùs, ea qua decet reverẽtia, morem gero, dubiorum examen assumo, referendo fundamenta, quæ uni, & alteri Parti assistere possunt, juxtà morem illorum, qui nõ ad opportunitatẽ causæ, sed pro veritate controversiam dirimendam suscipiũt.

53 Ut autèm id minori, qua fieri possit, confusione adimpleatur, præmittendum est, quod respectu ad locum, in quo missæ sunt celebrandæ, non est sola habenda ratio expressæ disponentium

voluntatis, ſed etiam habenda eſt conſideratio tacitæ voluntatis, quæ ex præſumptionibus, & conjecturis deducitur.

54 Quemadmodum, relictis generalibus, videmus in illis, qui celebrandas relinquunt miſſas poſt obitum, nulla expreſſa Eccleſia, in qua eædem ſint celebrandæ; Dicunt quippè Doctores, celebrandas eſſe in Eccleſia, in qua diſponens ſepulturam elegit, non alia profectò ratione, quàm quia hoc ſuadetur à præſumpta mente diſponentis, *Ricc. in Prax. par. 4. reſ. 97. per tot. Phæb. dec. Luſit. 100. n. 11. & 12. Sam. de Sep. tract. 2. contr. 7. per tot. Paſ. quæſt. Mor. tom. 3. quæſt. 238. n. 2. & ſeq. Leo de Offic. Cap. quæſt. 5. ſect. 2. n. 29. e ſeq.*

55 Hoc præmiſſo, nunc videre opus eſt, an deficiente expreſſa deſignatione Eccleſiarum, in quibus miſſæ debeant celebrari, tacita ſaltèm deſignatio concurrat in ordine ad Eccleſias Regularium, vel Sacerdotum Secularium, itaut diſponens injungendo onus miſſarum Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, ſimplicitèr, & abſolutè, abſque ulla deſignatione Eccleſiarum, tacitè intelligatur voluiſſe celebrationem in illis Eccleſijs, in quibus Regulares, vel Sacerdotes illi Sæculares Divina peragunt Officia, & quarum habent adminiſtrationem.

56 Hac in re prima facie reſpondendum eſſe videtur affirmativè, tùm ratione, tùm authoritate.

57 Ratione quidèm, quià quando diſponens onus miſſarum injungit Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, præſumendus eſt, voluiſſe adimplementum eo modo, quo Regulares illi, aut Sacerdotes illi Regulares ſimilia onera adimplere conſueverunt: Onus de quo agitur in præſenti, eſt celebratio miſſarum, & cùm Regulares, & Sacerdotes Sęculares in proprijs Eccleſijs miſſas celebrent, nil naturaliùs eſt, quã quod diſponens miſſarum relictarũ celebrationẽ in ijſdẽ voluerit *Tamb. de Sac. Miſs. lib. 3. c. 1. §. 3. n. 18.*

58 Suffragatur authoritas, non ſolùm quia legatum, factum Eccleſiæ miniſtris, intelligitur relictum intuitu Eccleſiæ, juxtà regulam *Textus in l. Annua §. Attia ff. de Ann. Legat.* ibi: *Reſpondi ſecundum ea, quæ proponerentur, miniſterium quidèm nominatorum deſignatum, cæterum datum Templò*. Sed etiam, quia ſpecialitèr in his materijs ſibi vindicat locum ſequens diſtinctio; Aut onus miſſarum relinquitur Sacerdotibus, habentibus adminiſtrationem Eccleſiæ, aut relinquitur Sacerdotibus, non habentibus Eccleſiæ adminiſtrationem; Primo caſu id, quod relinquitur, intelligitur relictum intuitu Eccleſiæ, non perſonarum; Secundo verò caſu id, quod relinquitur, intelligitur relictum, & id quod diſponitur, intelligitur diſpoſitum, intuitu perſonarum, nõ Eccleſię veluti poſt *Petr. Vbal. de Canonic. port. cap. 7. num. 57.* firmat *Rota*

decif.

decis. 1149. *nu.*7. *& sub nu.*20. *coram Seraphino*.

59 Nos sumus in hypothesi, in qua onus missarum supponitur injunctum Sacerdotibus, habentibus Ecclesiarum administrationem, & sic consequentèr sumus in hypothesi, in qua disponens habuit respectum ad Ecclesiam, itaùt relictum, seù dispositio, censeatur facta, non solùm favore animæ, sed etiam Ecclesiarum contemplatione, uti prosequitur *Rot. decis.* 176. *n.* 1. *decis.* 201. *n.* 1. *cor. Peuting. & decis.* 613. *n.* 1. *coram Eich.*

60 Admissa saltèm tacita contemplatione Ecclesiæ, nemo non videt, quod onus missarum, à pijs disponentibus injunctum Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, absque designatione Ecclesiarum, adimplendum est in eorum respectivè Ecclesijs, & quod non est in illorum facultate celebrari faciendi missas, vel in alijs Ecclesijs ejusdem Ordinis, vel ubilibet.

61 Quamvis enim *Pasqual. in suis Decis. moral. decis.* 429. in ea fuerit opinione, ut Rectores Ecclesiarum possint concedere facultatem Sacerdoti, obligato celebrare in sua ipsorum Ecclesia, ut alibi celebret, concurrente potissimum aliqua legitima causa, talis attamèn doctrina non videtur recipienda, quia jàm ab hac Sacra Congregatione resolutum est, Generales Ordinum Regularium non posse propria authoritate celebrari facere in Ecclesijs Monasteriorum aliarum Civitatum, Provinciarum, & Regnorum missas, pro quibus uni Ecclesiæ fuerunt eleemosynæ largitæ, quēadmodum testatur, & pluribus prosequitur *Tign. cons.* 275. *per tot. to.* 1.

62 Mutare siquidèm locū, in quo Testator saltèm tacitè habuit intentionem, ut missæ celebrentur, est commutare Testatoris voluntatem, veluti monet *Ricc. in Praxi part.* 4. *resolut.* 95. *nu.* 4., & voluntates commutare est de reservatis Summo Pontifici, & Sanctæ Sedi, *Textus in Clemen. Quia contingit, ibiquè Gloss. verbo Sedis Apostolicæ de Religios. Domib.*, & concordantibus cumulatis, firmat *Rot. in Romana Revocationis Sequestri* 15. *Februarij* 1704. §. *Non urgente coram Muto, & in Firmana Annuæ præstationis* 28. *Februarij* 1707. §. *Quod verò coram R. P. D. meo Scotto.*

63 In nihilum relevante, si dicatur, quod etiamsi disponens habuerit respectum ad aliquam Ecclesiam, in qua missæ sint celebrandæ; Missæ nihilominùs in alia celebrari possint, si non constet, Testatorem aliquam habuisse particularem devotionem ad illam Ecclesiam, quam respexit; Quando quidèm nonnulli Doctores in hac quidèm sententia fuerunt *Grat. disc.* 73. *n.* 4. *& seq. Ric. in Prax. par.* 1. *res.* 360. *per tot. Antonell. de Loc. leg. lib.* 1. *c.* 3. *q.* 6. *n.* 37.

64 Verùm hæc opinio non est recipienda; Vel quia ad summum sibi vindicare posset locum, si ageretur de mutatione altaris intra

eandem Ecclesiam, secus autèm, quando mutatio contingit de Ecclesia ad Ecclesiam, veluti docent *Card. de Lug. de Sacram. Eucbari. disput.21.sect.2. num.36. quæst. 8. Pellizzar. in Manual. Regular. tomo 1. Tractat.5. cap.9. sect.6. quæst.24. num.125.* Vel quia eadem ad summum esset explicanda quoad missas, unica vice dicendas, non autèm quoad missas perpetuas, quemadmodum distinguit *Amostaz. de Caus. Pijs lib.2. cap.5. num.19.*, Vel quod fortiùs est, quia opinio supradicta est undequaque insubsistens; Quotiès enim disponens expesiè, vel tacitè disponit, ut missæ in tali Ecclesia determinata celebrentur, cùm sit intellectuale agens, agere dicendum est propter aliquem finem, & sic propter devotionem ad talem Ecclesiam, aut ob aliam consimilem causam; Quo stante remanet de vento, & prorsùs idealis distinctio inter disponentem propter specialem devotionem, & disponentem sine tali speciali devotione, sicuti argumentatur *Pasqua. de Sacrifi. Missæ quæst.1139. num.3.*

65 Hæc sunt, quæ militant pro parte affirmativa, & quæ me diù ancipitem reddiderunt, & pro eadem etiam aliquando inclinarunt; Verùm, prædictis minimè refragantibus, pro mea tenuitate existimarem, negativam sententiam esse veriorem, & sic onus missarum, à pijs disponentibus injunctum Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, absque designatione Ecclesiarum, non esse de necessitate adimplendum in eorum respectivè Ecclesijs, sed eosdem habere facultatem celebrare faciendi missas, vel in alijs Ecclesijs ejusdem Ordinis, vel ubilibet, moderando tamèn hanc postremam partem celebrationis in alijs Ecclesijs, quæ non sint Ordinis, ut sibi vindicet locum, quando commodè celebratio in alijs Ecclesiis Ordinis adimpleri non valeat.

66 Quod onus sæpè memoratum, & injunctum modo, in superioribus enunciato, non sit de necessitate adimplendum à Sacerdotibus Regularibus, aut Sæcularibus in ipsorum respectivè Ecclesijs, patet, quia ad tramites dubii propositi, non est facta Ecclesiarum designatio; Cessante autem Ecclesiarum designatione, nõ videtur imponendũ illud onus, quod à piis dispon entibus impositum non est, ad tradita per *Tamb. de Sacr. Miss. lib.3. c. 1. §.3. n.19.* & quamvis ingenuè admittã, quod injungentes onus missarum Sacerdotibus Sæcularibus, vel Regularibus, aliquem habeant respectũ ad ipsorum Ecclesias, existimarem tamèn, quod hic respectus non sit tanti roboris, & momenti, ut taxativã inducat favore illarum Ecclesiarum, quarum Regulares, aut Sæculares Sacerdotes habent administrationem, uti patebit ex solutione argumentorum.

67 Quod verò missarum onus, loquendo de Regularibus, sit potiùs

tiùs adimplendum in alijs Ecclesijs Ordinis; quàm in cæteris, quæ non sunt Ordinis, demonstratur; Voluntates quippe piorum disponentium sunt punctualitèr, & juxtà modum præscriptum adimplendæ: Quinimò quando modo præscripto adimpleri non valent, veniunt adimplendæ modo magis consimili, & minùs ab ipsis remoto, quemadmodum me scribente, & funditus examinata materia respondit *Rota in Bononien. Hospitalis 6. Junij* 1707. *§.Cæterum cor.R.P.D.meo Lancetta, & in* ejusdem confirmatoria 16. *Decembris* 1707. *§.Huic verioris cor. Illustris.Omanna*.

68 Hìc, & nunc voluntates piorum disponentium, etsi non designent locum, in quo missæ sunt celebrandæ, designant tamen personas, hoc est Sacerdotes Regulares, qui missas debeant celebrare. Hoc itaque modo, hoc est mediantibus Regularibus, onera erunt adimplenda, non quidem ex quo Regulares illi, quibus missæ sunt relictæ, alios substituere non possint; Deficit quippe ad tramites dubij clausula celebrationis *per se ipsòs*, qua deficiente, hæc onera non sunt personalia, sed per substitutos exerceri valent, juxta magistralem *decis.*825. *num.* 8. *& seqq. coram Merlin. & decis.*13.*num.*11., *&* 12 *coram Bichio*; Sed ex quo magis congrum, & consentaneum esse videtur, ut missæ, Regularibus relictæ,per eosdem potiùs Regulares, quam per Sæculares celebrentur, *Nicol. in Flosc. verbo Missa num.*21. Si missæ sunt per Regulares celebrandæ, sunt, & consequenter potiùs celebrandæ in alijs Ecclesijs ipsorum Regularium, ità adimplendo voluntatem disponentium, quæ semper adimpletæ dicendæ sunt, sive missæ celebrentur à Regularibus unius Civitatis, sive à Regularibus alterius Civitatis, dummodò omnes idem profiteantur Institutum, ut in simili perpendit *Rota decis.* 1149. *num.*11. *vers. Tertio facit, & num.*20. *coram Seraphin.*

69 Deniquè, quod missæ celebrari valeant etiam in Ecclesiis, quæ non sunt Ordinis, eo casu, quo celebratio in Ecclesiis proprii Instituti adimpleri non potest, dignoscitur; Id enim si procedit in terminis, in quibus pii disponentes expresserunt Ecclesias, in quibus missæ celebrari debent; quia hoc minimè obstante, si cum aliqua difficultate, non potest celebrari missa in Ecclesia designata,celebratur in alia, veluti firmat *Rot.* in sæpè allegata *dec.*1149.*n.*13.*& seq.cor.Seraph.* A fortiori procedere dicēdū est in hypothesi nostra prȩsēti,in qua Ecclesiarū designatio nō est facta,& in qua respectus ad easdē Ecclesias taxativā nō importat.

70 His positis, transeundo ad resolutionem illorum, quæ fuerunt in contrarium ponderata, respondetur concedendo, quod in hac materia non solùm expressa, sed etiam tacita disponentis

vo-

voluntas sit adimplenda, concedendo pariter, quod disponentes, qui injungunt onus missarum Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, absque designatione Ecclesiarum, aliquem habeant respectum ad ipsorum Ecclesias, hoc est ad Ecclesias, quarum habent administrationem, sed expressè negando, quod hic respectus secum ferat taxativam quoad celebrationem in prædictis Ecclesiis.

71 Horum omnium ea ratio est, quòd juxtà dubium propositum nulla supponitur facta designatio Ecclesiarum, deficiente designatione Ecclesiarum expressa, Regulares, vel Sacerdotes Sæculares, quibus onera missarum sunt imposita, fuerunt principaliter contemplati; Tacitusque respectus ad Ecclesiam ipsorum si est, non est illarum ratione, sed ratione pertinentiæ ad Regulares, sive Sacerdotes Sæculares; Uno verbo, si habitus fuit respectus ad ipsorum Ecclesias, in tantum habitus est, in quantum pertinent ad Sacerdotes Sæculares, sive Regulares; Idquè facit, ut Ecclesiæ non sint taxativè contemplatæ; Et sic per consequens à primo ad ultimum, quod dispositiones non sint ad illas restrictæ, adeoquè, quod missæ in aliis Ecclesiis celebrari valeant, optime *Pasqu. de Sac. nov. leg. quæst.* 1143. *nu.*2. *&* 3. & rursùs *quæst.* 1145. *nu.*6. & conferunt deducta per *Bordon. de Legat. Missar. cap.* 6. *num.* 92. *& per Rotam coram Caval. decis.* 494. *num.* 6. *& coram Seraph. dec.* 1149. *nu.* 11. *& num.* 19. ubi in materia celebrationis missarum habetur, quod quando locus non est contemplatus cum mysterio, sed gratia facilioris executionis, non restringit dispositionem, nec favore loci inducit taxativam; Cessantquè à primo ad ultimum omnia in contrarium allegata, quæ forent attendenda, si adesset expressa designatio Ecclesiarum, aut si tacita concurreret, quæ tamen aliquod caperet mysterium,& sic secum ferret taxativam.

72 Absquè eo, quod in hoc rerum statu applicabilis sit resolutio Sacræ Congregationis supra memorata, & quam refert *Pignat. consult.* 275. *per tot. tom.*1. in qua prohibitum fuit Generalibus Ordinum propria authoritate celebrare facere in Ecclesiis Monasteriorum aliarum Civitatum, Provinciarum, & Regnorum missas, pro quibus uni Ecclesiæ datæ sunt eleemosynæ; Ibi siquidem deducta per *Pignat.* procedunt in terminis, in quibus, vel fuerunt expressè designatæ Ecclesiæ, vel Ecclesiæ per se, & principaliter fuerunt habitæ in consideratione, uti colligitur ex *num.* 2.; Noster itaque casus, cùm sit, quando non fuerunt Ecclesiæ designatæ, & ulteriùs cùm respectus ad Ecclesias non habitus sit ratione ipsarum, sed ratione pertinentiæ ad Sacerdotes

tes

tes Sæculares, sive Regulares; nemo idcirco non videt, resolutionem extraneam esse à nostra præsenti controversia.

73 Ad eandem pertinet classem, quod hoc admisso, induceretur commutatio voluntatis; quæ non datur præcisa Sedis Apostolicæ authoritate; Commutatio quandoquidem voluntatis non datur, quando finis dispositionis servatur; Finis autem harum similium dispositionum, cùm sit animæ suffragium, & hoc habeatur, sivè celebratio fiat in una Ecclesia, sive in alia, hinc est, quod nulla intervenit commutatio, veluti ad rem argumentatur *Pignat. consult. 8. nu. 3. & 4. tom. 9.* & sequitur *Rota in sæpè allegata decis. 1149. sub nu. 11. coram Seraph.* Eoquè fortius, cùm ex supra deductis habeamus, quod respectus ad Ecclesias Sacerdotum Regularium, sive Sæcularium, nec taxativam importat, nec ad illas dispositiones restringit.

74 Superfluumquè est immorari in examinando, an mutatio Ecclesiarum fieri possit, & si disponens easdem expresserit, dummodò non expresserit propter particularem devotionem ad easdem, cùm nostrum fundamentum in supradicta ratione non consistat, sed in aliis, mox relatis.

75 Sic resoluto primo dubio, inutile est descendere ad resolutionem secundi, in quo quæritur, an admisso, quod onus missarum sit adimplendum in Ecclesiis Sacerdotum Sæcularium, sive Regularium, stante tamen penuria Sacerdotum, indulgeri possit, ut alibi missæ celebrentur, & sub quibus conditionibus talis licentia sit indulgenda.

76 Ad abundantiorem cauthelam, hoc est, quatenus resolutio primi dubii non placeret, accedo ad resolutionem secundi, & in ea essem opinione, quod stante penuria Sacerdotum, indulgendum sit, ut missæ alibi celebrentur.

77 Vera enim est regula, quod ille, qui ex titulo, vel conventione tenetur celebrare in aliqua Ecclesia, non potest extra illam celebrare *Monet. de Commut. ultim. volunt. cap. 5. num. 394.* Subsistit pariter regula, quod celebrando extra Ecclesiam Sacerdos hic non satisfacit præcepto celebrandi, veluti statutum fuit *in Concilio Provinc. Mediol.* ibi *Quicunque Sacerdos in Altari certo missam celebrare debet, si in alio celebravit, ne quod debet præstitisse censeatur.* Quinimmò quod transgressio talis præcepti ex genere suo est peccatum mortale, veluti communiter docent *Bonac. tom. 1. tit. de Sacr. Euchar. disput. 4. quæst. ultim. punct. 7. §. 4. num. 2. Ricc. in Praxi part. 1. resolut. 353. per tot. Quart. ad Rubric. Missal. in Appendic. de Sac. quæst. 4. punct. 4. difficult. 1. per tot. Azor. Instit. moral. tom. 1. lib. 10. quæst. 8. Marant. resp.*

resp. 89. n. 13. Bordon. de Legat. Missar. cap. 6. n. 83. Pheb. decis. Lusitan. 100. à num. 5. & decis. 154. per tot. & signanter. à n. 13.

78 Sed æquè vera est limitatio, quod supradicta non habeant locum, quando Superior Ecclesiasticus ex aliqua justa causa indulgeret, ut alibi missæ celebrarentur, veluti prosequitur *supracitatum Conc. Mediol.* ibi *Nisi Episcopi, alteriusvè, cui illi id curæ commiserit, jussu, concessu, permissum aliquando fuerit*, & est sententia communis, veluti docent *Monet. de Commut. ultim. volunt. cap. 5. num. 394. Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst. 1141. per tot. Lambert. de Jurepat. lib. 3. in 6. art. 6. quæst. princip. num. 3. Bordon. in suo Opere de Legat. Miss. cap. 6. num. 85. Antonel. de Regim. Eccles. lib. 1. cap. 14. n. 9. Barbos. de Offic. & Potestat. Episcop. part. 2. allegat. 29. n. 8. Bonac. Oper. Moral. tom. 1. Tit. de Sacr. Euch. disp. 4. quæst ultim. punct. 7. §. 4. num. 3. & 4. Pignat. consult.* 80. *num.* 8. *tom. 9. Rota coram Coccin. dec. 1522. num. 5.*

79 Inter justas causas, propter quas Superior Ecclesiasticus similes licentias concedit, præcipuè est illa, quæ consistit in penuria Sacerdotum, ut in puncto firmat *Abb. consil. 49. in fine §. Ad 3. lib. 2.* quod consilium fuit à Rota receptum *in decis. 1486. n. 9. cor. Coccin.* quæ fuit confirmata *in decis. 1522. cor. Eodem*; Et hac methodo retenta, pars illa secundi dubii, in quo quæritur, an concurrente penuria Sacerdotum, sit indulgendum, ut missæ alibi celebrentur, affirmativam videtur habere responsionem.

80 Remanet, ut de conditionibus verba faciamus, & conditiones consistere possunt in sequentibus, quod talis scilicet indulgentia duret quoadusque durat penuria Sacerdotum, ad tradita per *Lambert. de Jurepatr. lib. 3. in 6. art. 6. quæst. princ. n. 4.* & quod hoc interim Sacerdotes non recipiant alia onera perpetua missarum, & quod non tractetur de missis, quæ sint certis altaribus affixæ, *juxta Votum Emin. D. m. Card. de Carpineo* super simili instantia PP. SS. Nicolai, & Blasii ad Cæsarinos, *& juxta resolutionē hujus Sac. Congr. sub die 1. Decembris* 1708. in qua cum simili præservativa, licentia concessa fuit PP. S. Laurentii in Lucina.

Et hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

Prosper de Lambertinis Sac. Consistorii Advocatus.

---

81 Relata causa in Sac. Congregatione Concilii, habita die 16. Martii 1709. ead. Sac. Congregatio in eo fuit sensu, ut dubia tanquam nimis generalia congruè definiri nequeant unica declaratione, seù responso, adaptabili diversis defunctorum dispositionibus, vel piorum Benefactorum largitionibus, rescribendo proinde *Dabitur resolutio in casibus particularibus.*